DE VALERIO CATONE DEQUE DIRIS ET LYDIA CARMINIBUS.

DISSERTATIO PHILOLOGA

QUAM AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINI
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS
MENSE FEBRUARIO ANNI MDCCCLXXXIX

PROPOSUIT

GUSTAV ESKUCHE
CASSELANUS.

MARBURGI CATTORUM.
TYPIS LUDOVICI DOELL CASSELANI.
1889.

957

THEODORO BIRT

S.

THEODORO BIRT

S.

Praefatio.

Bernhardii, litterarum antiquarum iudicis elegantis, dirum de Diris vaticinium hoc fuit: Diese Reliquien werden also fernerhin einen Platz unter jenen hoffnungslosen Problemen behalten, an welche die Philologen Ehrenhalber gute Zeit und Kraft zu verschwenden pflegen. Quod cum mecum volvam, quamvis periculosae plenum opus aleae me suscepisse sentiam, tamen hasce studiorum primitias non tanta animi trepidatione promo, quanto amore conscrispi et gaudio. Quoniam igitur duas disputatiunculas, unam de recensione, alteram de auctore carminum feliciter absolvi, magnas ago tibi gratias, Theodore Birt, pro magnis tuis de hoc opere et praecipue de versione meritis. Iamque ut aditus ad sententias, quae virorum doctorum hac in re fuerunt, aliis in posterum facilius pateat quam olim mihi, tabellam omnium librorum, quos de Diris et Lydia scriptos inveni, sermoni nostro praemuniam. Sunt hi:

Editio Vergili princeps. Romana I. cr. 1469[1]).*
Ios. Scaliger ed. in appendice Vergiliana 1573.*
Editio Basileensis 1575.*
Scaligeri editio iterata cura Lindenbrochii 1595.*
Pithoeus ed. Lugdun. 1596.*

Chr. Egenolphus ed. Frankofurt. 1610.*
Scaligeri editio tertium iterata titulo Catalecta Virgilii p. 169. Lugdun. 1617.*

---

[1]) De ceteris editionibus antiquis videas Naekium p. 376—422.
* Hunc librum inspicere mihi non obtigit.

Poetae satyrici minores ed. Boxhorn. 1633.*
Dilherrus ed. Ienae. 1636.*
Val. Catonis Grammatici Dirae ed. Arnold 1652.*

Rooy: spicilegia crit. p. 110, a. 1771.*
Burmanni Anth. Poet. Lat. II. p. 647 cum animadversionibus Ios. Scaligeri, et notis ineditis Nicolai Heinsii, quibus et suas adjecit Petrus Burmannus Secundus. 1773.
Val. Cato Grammatius rec. M. Aug. Mirus 1778.*
Wernsdorfii poet. lat. min. III. p. XLV—LVI et p. 1—23. a. 1782.
Fr. Iacobs: Die Dirae des Val. Cato in diurno quod vocatur Bibl. der alten Lit. und Kunst IX et Iacobsi Verm. Schriften V. 637—650. a. 1792.

Wakefield in ed. Lucreti cf. ind. crit. s. v. Cato. 1813.
Eichstaedt: Valerii Catonis Dirae. progr. Ienae. 1826.
Sillig rec. Eichstaedtium in Iahns Iahrb. II. p. 333. a. 1826.
Putsche: Valerii Catonis Poemata rec. 1828.
Naeke de Battaro Val. Catonis in Rhein. Mus. II. p. 113 et in opusc. I. p. 301 et in editione Catonis. 1828.
Naeke rec. Putschium in Rhein. Mus. a. 1829 p. 148 et in opusc. I. p. 319. a. 1829.
Sillig rec. Putschium in Iahns Iahrb. IX. p. 17. a. 1829.
Bernhardy: Röm. Lit. Gesch. (1830[1]) 1850[2].
Heyne-Wagner in ed. Vergili I. p. 11. adnot. a. 1830.
C. Fr. Hermann Allg. Schulzeitg., Abth. II. n. 49. 50. 1831.
von Leutsch: Theses sexaginta p. 17. a. 1833.
Meyeri Anth. Latin. I. p. 30—35 et 48—50. a. 1835.
Merkel ad Ibin p. 365. a. 1837.
Lersch: Verfasser der Dirae. Z. f. d. A.-W. p. 1050—1053. a. 1837.
Putsche: Verf. der Dirae. ibid. p. 843—845. a. 1838.
F. A. Giles recensionem Putschianam praestitit London. 1838 *).
Lersch: Zu Valerius Cato. Z. f. d. A.-W. p. 340—343. a. 1839.

*) Hunc librum inspicere mihi non obtigit.

M. Haupt observat. crit. p. 46 ss. a. 1841.
Otfr. Mueller: Griech.Lit.-Gesch. II. p. 98 adnot. (1841[1]) 1882[4].
Carmina Val. Catonis cum Naekii annotationibus. Bonnae 1847.
Fr. Iacob in Philol. III. p. 547. a. 1848.
C. Fr. Hermann: Gesammelte Abhandlungen p. 112. a. 1849.
H. Keil in Haller Allgem. Litt.-Zeitg. n. 61. a. 1849.
Lachmann ad Lucreti l. IIII. v. 604. V. v. 1001. a. 1850.
M. Schmidt: Zu Val. Cato in Philol. VIII. p. 190. a. 1853.
Goebbel: de ephymniorum rationibus p. 48. a. 1858.
Anonymus quidam in Zarnkes Litt.-Zeitg. n. 37. a. 1861.
Goebbel: Über die stroph. Composition der Dirae. a. 1861.
Goebbel: de compositione Lydiae in adnot. p. 5 s. progr. gymnas. Warendorf. 1862.
Lud. Schwabe: Quaest. Catull. I. p. 305—312. a. 1862.
H. Koch: Zu Val. Cato (v. 147) in Philol. XIX. p. 585. a. 1863.
Goebbel rec. Valerii Catonis quae feruntur carmina. a. 1865.
Goebbel: Z. f. d. G. p. 584. a. 1866.
Ribbeck: ind. schol. Kiliae sem. hib. 1867/68; idem in Ribb. append. Vergil.
Goebbel: Z. f. d. G. p. 750. a. 1868.
Ribbeck: append. Vergil. p. 22. 50. 165. a. 1868.
Baehr: Gesch. der röm. Litt. 1868[4]. I. p. 603—606.
Patin: Valerius Caton. Saint-Germain 1869.*
Maehly rec. Ribbecki append. Vergil. in Heïdelberger Jahrb. p. 769 ss. a. 1870.
Th. Bergk: Beitr. z. lat. Gram. I. 126 in adnotatione. a. 1870.
M. Haupt in Hermes VIII. p. 12 ss. = opusc. III. p. 613 ss. (de Dir. vv. 34 ss. 63 ss. Lyd. vv. 39 ss. 48. 53 ss. 72) a. 1874.
R. Peiper: Valerius Catullus. p. 63 ss. Ueberlieferung der Dirae. a. 1875.
Th. Birt: ad hist. hexam. lat. Bonnae. dissert. 1876, pp. 14 et 23.
Nipperdey: opusc. p. 491. a. 1877.
Ellis in The Iournal of Philology VIII. p. 72—74. (de Dir. vv. 9. 40 s. 74. Lyd. vv. 43 s. 55.) a. 1879.

Baehrens ed. poet. lat. min. vol. II. a. 1880.
Birt: Das antike Buchwesen, pp. 297. 298. a. 1882.
Teuffel-Schwabe: Gesch. der röm. Litt. 1882[4] pp. 45. 373 s.
M. Cabaret-Dupaty: Poetae Latini minores: Sabinus .... Valerius Cato .... Traduction nouvelle. Paris, Garnier frères a. 1882.
Ribbeck: Gesch. der röm. Dichtung. I. p. 307—312 (notae sequentur in altero volumine.) a. 1887.
Rothstein in Herm. XXIII. p. 508—524. a. 1888.
Pauly: Realencyklopädie p. 2345. 2659.

Carminum recensio.

Postquam Iacobs centum et octoginta tres versus sub titulo Dirae in codicibus Vergilianis servatos in duo poemata, quorum prius Diras, posterius Lydiam nominavit, resecandos esse cognovit, C. F. Hermann, qui primus operam posuit in compositione ipsarum Dirarum indaganda, non dubitavit, quin amoebaeum inter senem et Battarum iuvenem quendam carmen esset; virum autem sagacissimum ego diu et non frustra secutus eo tamen non iam provehor, ut meam faciam eius doctrinam terminos longe migrantem. Et ab ingrato munere singulas causas refellendi Keil, cui Ribbeck nonnulla probabilia a. 1868 addidit, opportune nos solvit. Contra postquam ille sententiam Hermanni a tota carminis natura abhorrere demonstravit, huic ut senem illum Hermannianum e medio tolleret, non opus erat coniectura incredibilis, qua in v. 10 censuit *suis olim* pro librorum litteris *senis nostri* esse legendum. Nam quo modo cumque ibi interpretandum est, ad eum, qui ipse adest et partem amoebaei suscepisse putatur, verba *senis nostri* nisi violentissime referri non possunt. Quo autem alio loco appellationem senis probare Hermann studuit (v. 93)

> Tardius a! miserae descendite monte capellae
> (Mollia non iterum carpetis pabula nota)
> Tuque resiste pater:

ne quis patrem aliter intellegat ac patrem gregis (cf. Lyd. v. 28 et 31), scite cavet Keil haec docens: obgleich Niemand pater ohne weiteren Zusatz für gleichbedeutend mit pater gregis halten wird . . ., so liegt doch diese Bedeutung nahe genug, wenn im vorhergehenden Satzgliede von der Ziegenherde die Rede ist, ja die lose Anknüpfung mit tuque macht kaum eine andere Beziehung möglich. Ceterum eandem dicendi brevitatem apud Val. Flaccum I 89 sq. Naeke investigavit: *dabit auratis et cornibus igni Colla pater niveique greges altaria tingent.* Addo Col. VI 37, 4 *patris praeferat habitum.*

Attamen vereor, ne existant, qui carmen vere amoebaeum extricare cupiant. Valdeque dolerem, si tale, quale ipse non semel temptavi, denuo ab alio temptaretur. Nam etiamsi audacter coniectando et contorte interpretando mentio alterius cuiusdam cantoris aliquotiens in carmen importaretur, duo vel tres loci, ubi illa umbra offerri videretur, Battari allocutionem tam crebram tamque manifestam minime aequare possent. Itaque quoniam omnis personarum distinctio deest, quoniam deest nomen imprimis alterius cantoris, quoniam desunt subtiliora illa acumina, quibus cantores certatim responsa ornare amant, signum proprietasque cantuum deest amoebaeorum.

Deinde Goebbel poema septem et viginti versibus — horribile dictu — amplificatum quasi igni et aqua diruere gavisus est, quoad hunc stropharum ordinem gigneret: 2. 4. 6. 5. 10. 10. 5. 5. 6. 3. 5. 3. 5. 3. 5. 6. 4. 7. 7. 4. Tale θαῦμα ἰδέσθαι ut fabricaret, vir bonus supplevit versum 1 post v. 7, v. 14 post vv. 18 et 24, v. 25 post vv. 41 et 46, v. 71 post vv. 57 et 65, v. 54 post vv. 62 et 71, v. 75 post v. 81, v. 97 post vv. 85 et 90; porro transposuit v. 30 aliquo ante v. 25, v. 66 aliquo ante v. 71, vv. 102 et 103 post v. 90; porro excidisse statuit decem versus ante v. 25, unum versum ante v. 70, duos versus ante v. 71, duos versus ante v. 75, unum versum post v. 95. Qualis sumptus, qualis eventus! Tanta tamen audacia repetendi et transponendi et supplendi usus Goebbel audacia multo maiore haec scripsit: Necesse non est, ut plura de strophica Dirarum compositione adiciam, quum tota mea divisio natura atque proprietate

(sic!) carminis nitatur. Sed idem cum poeta vexato in gratiam paene rediit Ribbeckium fortiter redarguens.

Tertio enim Ribbeck quamquam illius temeritatem non aequiperabat, de compositione Dirarum rationem tam miram sibi sumpsit, ut Maehly, vir si non semper, certe tum elegantia arbitrii praeditus, anno 1870 prolixiore disputatione scripta hanc conclusionem faceret: Wenn überhaupt je ein negatives Urtheil gefällt werden darf da, wo alle inneren wie äusseren Momente das Verdikt bestätigen, so lautet es: Ribbeck's Verfahren ist hier total verfehlt. Nam ille litteris initialibus Bembini permire deceptus cum versum 79 post v. 65, vv. 80 et 81 post v. 71, — v. 66 scilicet iure removisse videtur, — vv. 102 et 103 post v. 90 transposuisset et singulos versus post vv. 93, 95, 96 supplevisset, hanc speciem dubiae compositionis elicuit:

3.	4.	6.	6.	6.	4.	1.	3.	3.	5.	5.	7.	7.	2.	4.	4.
Aa.	b.	Bc.	c'.	c''.	Cd.		e.	e'.	f.	f'.	Dg.	g'.	h.	i.	i'.

1.	2.	3.	1.	3.	3.	5.	4.	5.	4.	1.	4.
	h.'	k.		k.'	Ea.	l.	m.	l'.	m.'		l.

Quid multa? Satis multa Goebbel et Maehly protulerunt, ut Ribbeck argumentis quasi obrutus quiescat.

Quarto ut pravos illos stropharum venatores magis deterream me ipsum enarrabo olim minus poetae quam meam mentem secutum perpaucis versibus non sine aliqua specie veritatis dispositis vel eiectis hoc monstrum compositionis dulcissimum creavisse: 3 + 4 ‖ 4 + 3. 5 + 6. 6 + 5. 5 + 6. ‖ 4 + 3. 3 + 4. 4 + 3. 5 + 6. | 4. | 6 + 5. ‖ 3 + 4. Sed iamdudum mihi cum persuaderem nullum usquam versum compositionis construendae causa eici aut disponi debere, turba talium nugarum abiit, evolavit, evanuit.

Quae cum ita sint, arrogantis esse suspiceris fiduciam eius, qui ad quaestionem tam difficilem aliquid tolerabile addere se posse opinetur. Atqui tenuitate atque vilitate fructuum tantis artificiis perceptorum admodum stimulamur, ut minore apparatu messem facere conemur uberiorem. Ordiamur si placet ab exclamatione v. 102 *quamvis ignis eris, quamvis aqua;* qua videlicet etiam illud ab ipso poeta exclamatur duo imprecationum genera esse, quorum priore

fundus igni, posteriore aquae devotus sit. Unius autem capitis (vv. 8—47) sententiam totam continet v. 46 *Qua nostri fines olim, cinis omnia fiat,* alterius (vv. 48—81) v. 61 *Dicantur mea rura ferum mare.* Inde ab ultimo voto stropha quattuor versuum (82—85) ut ipsam devotionem concludit ita ad villam Lydiamque ultimo vale! salutandas (86—97) traducit. Carmen finitur epodo (98—103), cui magna similitudo cum proodo (1—7) est.

Prima autem carminis vox occurrit *Battare.* Infelix Battare! fagum aut vicum aut silvam aut fluvium aut collem aut villam aut Bacchum aut vatem Alexandrinum aut servum fistula canentem te esse viri docti et indocti voluerunt, quin etiam malus quidam te ipsum nuper secuit dividens *Batte here!* Equidem contentus sum, si familiarem poetae et verisimiliter socium eius calamitatis te aut esse aut fingi scio, quocum olim, antequam hoc carmen editum sit, alternis strophis villam ereptam devoverit; id quod his praecipue versibus comprobatur:

Battare, cycneas repetamus carmine voces,
Divisas iterum sedes et rura canamus,
Rura, quibus diras indiximus, impia vota. —
Tristius hoc, memini, revocasses, Battare, carmen. —
Battare fluminibus tu nostros trade dolores;
Nam tibi sunt fontes, tibi semper flumina amica. —
Dulcius hoc, memini, revocasses, Battare, carmen.

Carmen igitur, quod nos manibus tenemus, variatio vel est vel fingitur esse prioris incantamenti, quo poeta eiusque amicus Battarus olim fundo relicto impia vota indixerant; Battarum autem, velutsi adsit, poeta tam saepe alloquitur, quoniam eum maxime has Diras perlegentem vota illa priora animo quidem repetiturum esse exspectat. Quo consilio amicum adhortatus postquam nulla re, quominus devotionem nunc iterum caneret, impediri se posse quasi iureiurando affirmavit, versibus 8—13 de universo praedio exoptat, ut semina in eo omniaque fecunda infecunda fiant, deinde ut agri aestu et siccitate et pestilentia deformati debilitatique malas messes praebeant. Quae sequuntur preces, mollissimae simulque

acerrimae pulchritudine excellunt. Poeta enim reminiscens felicis temporis, cum iuxta dulcissimam puellulam stratus formosam silvam carmina sua resonare docuerit, maerore nec non ira inflammatus, ne silva ferro nefarii militis pereat, Iovem, parentem silvae, ut fulmina de sereno caelo mittat eamque funditus evertat, advocat; deinde (vv. 37—47) orat, ut incendium silvae ventis undique inflatum vites, segetes, omnia comburat. Hactenus prima pars, imprecatio ignis, quo nomine etiam sterilitatem et pestilentiam magis igni quam aqua orientes liberius comprehendo.

Inde a versu 48 sequitur altera dirarum pars ad aquam pertinens, quae iterum in quinque capita sponte dividitur. Liceat ad haec inundationis genera illustranda ipsa verba poetae, quibus meliora nescio, adhibere:

1. migret Neptunus in arva
   Fluctibus et spissa campos perfundat harena.
2. Haec (= monstra maris) agat infesto Neptunus caeca tridenti.
3. Incurrant amnes passim rimantibus undis.
4. Emanent subito sicca tellure paludes [1]).
5. Praecipitent altis fumantes montibus imbres.

Ea si recte exposita habemus, hanc carminis formam facere non possumus quin agnoscamus:

I. proodus (1—7).

II. a. ignis imprecatio (8—47).
   1. sterilitas (8—14).
   2. siccitas (15—19).
   3. pestilentia (20—25).
   4. incendium silvae (26—36).
   5. incendium reliqui fundi (37—47).

---

[1]) Si quis brevitatem et tenuitatem huius strophae v. 72 sqq. cum aliarum amplitudine et ubertate comparaverit et versus intercalares nusquam alibi tribus tantum versibus inter se distare viderit, non dubitabit, quin ante v. 73 versus exciderit, ubi mentio militis facta est. Nam verbum *metat*, sive *hic* pronomen est militem significans sive adverbium est locale ad *ubi* spectans, recte percipi vix potest, nisi accuratior memoratio novi possessoris praeivit. Quam ob rem speciminis causa versiculum feci.

b. aquae imprecatio (48—81)
6. fluctus harenaque maris (48—54)
7. monstra maritima (55—62)
8. flumina fontesque (63—71)
9. paludes e tellure emanantes (72—75).
10. imbres (76—81).

III. valedictio (82—97)
1. transitio ad valedictionem (82—85).
2. prior valedictio (86—90).
3. valedictio iterata (91—96).

IV. epodus (97—103).

Neque vero poeta satis habuit periodos illas ita construere, ut fines ex ipsa materie apparerent, sed politiore cum arte singulas versibus, qui intercalares satis apte nominantur, coronavit; verum a poetis bucolicis sic differt, ut eadem libidine, qua Catullus in carm. LXI, intercalares et variis modis flexerit et cum sententia antecedenti artissime coniunxerit[1]). Intercalares esse hos versus statuo:

I. Battare, cycneas repetamus carmine voces v. 1.
Multa prius fient, quam non mea libera avena v. 7.

II. a. Rursus, et hoc iterum repetamus, Battare, carmen v. 14.
Nec desit nostris devotum carmen avenis v. 19.
Sic precor, et nostris superent haec carmina votis v. 25.
Haec mihi saepe meum resonabit, Battare, carmen v. 30 post v. 36.
Sic precor, et nostris superent haec carmina votis v. 47.

---

[1]) Intercalares cum proxima sententia cohaerentes etiam inveni apud Ovid. am. I 6. 56 et Auson. VI 1 (= idyll. 8) *Jane veni: novus anne, veni: renovate veni, Sol, Consulis Ausonii Latiam visure curulem.* — De Catulli versu intercalari Ziwsa in Wiener Studien III 298, IV 271, accurata dissertatione praemissa p. 288 haec potissimum docet: Der Intercalar (ist) entweder der Träger des leitenden Gedankens . ., wie in den kleineren, der jambischen Poesie angehörenden Liedern, oder der Ausdruck einer gewissen, das Ganze illustrierenden Stimmung, kurz die Signatur des Liedes, wie in den Epithalamien. In beiden Fällen steht er demnach in logischer Dependenz von der Gedankenreihe, die er beschliesst, und es kann sonach als Zweck des Schaltverses der logische Abschluss zusammengehöriger Gedanken und gegebenen Falles mittelbar dadurch auch die strophische Gliederung — wie in den grösseren Gedichten — angegeben werden.

b. Tristius hoc, memini, revocasses, Battare, carmen v. 54.
Rura, quibus diras indiximus, impia vota v. 62.
repetitus ex v. 2.
Dulcius hoc, memini, revocasses, Battare, carmen v. 71.
Tristius hoc rursum dicit mea fistula carmen v. 75.
Nil est quod perdam ulterius: merito omnia Ditis v. 66
post v. 81.

III. Extremum carmen revocemus, Battare, avena v. 97.

Intercalaris vero suae quisque strophae antecedenti subiungi solet, nisi quod v. 97 primo carminis versui ut sententia ita loco accurate respondens melius sequenti strophae versu intercalari in fine carenti attribuitur; de quo versu etiam id animadverto substantivum *carmen* carere pronomine demonstrativo *hoc*, quod in omnibus ceteris eiusdem speciei intercalaribus ad antecedentia spectantibus (vv. 14. 25. 30. 47. 54. 71. 75) non desideratur. De sententiis autem quales sint singulorum intercalarium suo loco disseretur. Iam, ut dicam ad propositum, nonnulla vestigia legis, qua poeta ad intercalarium varietatem distinguendam usus sit, ea agnoscuntur, ut intercalares prioris partis sensum optativum (cf. repetamus, nec desit, superent, resonabit, superent) habeant et magis quantitatem horum votorum respiciant, ceteri argumento enuntiativo (cf. revocasses, indiximus, revocasses, rursum dicit, nil est) magis ad qualitatem votorum antea cantatorum referantur; ultimus autem intercalaris, ut pulchra responsio fiat, sententiam primo carminis versui contrariam praestat. Obiter denique animadvertam hunc poetam id quoque Theocriteum imitari, quod et exitum et initium primae strophae versu quodam intercalari ornat; scilicet, qua est libertate, non eundem versum quem in fronte, sed novum simili argumento in fine usurpat, cf. Dir. vv. 1 et 8 cum Theocr. I 64 et 70 ἄρχετε βουκολικᾶς, Μοῖσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.

Ex his quae feci verbis satis perspicuum esse puto eam haberi compositionis rationem, ut, etiamsi ad nullam rem animum attendimus nisi ad argumentum ipsum, ne numerorum quidem aliqua responsio desideretur:

proodus		7		
devotio	7 . 5	6 . 11 . 11	7 . 8 . 8	5 . 7
valedictio	2 . 2	3 . 2	3 . 3	
epodus		7		

Totum igitur carmen, cum quinque strophae septenorum versuum adsint, per eas ipsas in quinque partes disponitur. Nam septenis versibus, in quibus quina ut dicunt *ἀδύνατα* memorantur, carmen et incipit et exit, septenis versibus imprecationes, quae ipsae e quinis strophis constant, et incipiunt et in duas partes distribuuntur et exeunt. Imparibus autem numeris tam crebro adhibitis poeta id affectat, ut deum, quem omnium potissimum carmine devotivo orat et obsecrat, Ditem, magis sibi conciliet. Nam, ut amica illa amicum devovens in Vergili ecl. VIII, 75 dicit, *numero deus impare gaudet.*

Iam vero ad Lydiae quae vocatur formam exponendam progredienti iterum mihi non placet tales compositionis leges, quales nisi is, qui invenerit, vix quisquam cognoscere possit, Goebbeliana vel Ribbeckiana[1]) illa facultate numerandi enucleare, sed nihil aliud quam quae singularum partium concinnitas cuiusvis attentioris lectoris diligentiae sponte se offerat, quasi sine ira et studio paucis delineare conari:

proodus (1—7): Invideo agris, ubi Lydia me absente versatur.

pars I. a. (8—19): Invideo agris et praedico.
b. (20—27): Dum agri florent, morior desiderio.

pars II. a. (28—38): Cum bestia suam quaeque feminam semper secum habeat,

[1]) Ut nugas, quas Goebbel a. 1862 egit, benigne omittamus, rursus Ribbeck facere non potuit quin eclogae hanc divisionem ingereret:
7. 1. 7. 4. 4. 4 3. 3. 3. 6. 6. 7. 7. 3. 3. 3. 2. 2. 3. 2.
Αα. α. β. β.' β."Βγ. γ.' γ."Γδ. δ.' Δε. ε.' ϛ. ϛ.' ϛ." ψ. Εη. ϑ. η'.
Tempus fuit cum ipse uno versu post v. 29 suppleto hac compositione ‚strophica' in bonum poetam insultarem: proodus 3. pars I. 4. 8. 4. 8. II. 4. 8. 4. 8. III. 4. 8. 4. 8. epodus 6.

b. (39—52): cum caelestes — et olim etiam mortales — amoribus suis semper fruantur, ego amica mea tam saepe careo.

pars III. a. (53—62) Egone dis iratis primus pudorem violavi?

b. (63—74): Ipsi dei et deae ex antiquissimis temporibus res amatorias diverso genere agunt.

epodus (75—80): O miserrimam nostrae aetatis condicionem!

Satis mihi multa verba fecisse videor carmina et bene a poeta disposita et in universum non decurtata esse probaturus; additur ad hanc expositionem quantum possumus commentarius singulorum locorum criticus et exegeticus. Atque cum eam legem, ne elegantia perspicuitasve magis quam veritas captetur, summam nobis fore promittamus, id studebimus, ut poetam mala librorum memoria maximeque Baehrensi effrenata coniciendi libidine diu cruciatum medelis quo simplicioribus eo salutarioribus recreemus.

Memoria librorum de his poematis misera est; quam misera sit, iam inde concluditur, quod e. g. Culex, quamquam in duobus primae classis libris exstat — Baehrens enim codices appendicis Vergilianae in quinque ordines dividit —, tamen a vitiis gravibus minime integer est, Dirae nullo primae notae libro traditae sunt. Codex enim, cui omnium optimam memoriam nunc debemus, Vaticanus 3252 saec. IX., qui olim Petri Bembi fuit, auctoritatem primi ordinis non parvo intervallo sequitur. Eiusdem fere pretii sunt duo Parisini 7927 et 8069. Libri autem Parisini 17177, qui ut in manus meas parumper illaberetur, Birt, patronus meus humanissimus, ob codicis fragilitatem frustra petierat, collationem a viro legendi peritissimo faciendam curavi, quae huic dissertationi adiecta nihil magni praestat nisi Lyd. v. 13 *venerem sp(i)rentia*, qua lectione bona Eichstaedti coniectura *spirantia* magis commendatur. Exoptatum deinde subsidium venit de codicibus, qui in aliis numeris longe deterrimi sunt, deque nonnullis editionibus, quae pleraeque vere veteres non sunt. Exempli causa Helmstadiensis liber chartaceus intra annos 1470—74 ab Henrico quodam Hopf scriptus tam praeclara virtute praecellit, ut nonnusquam unus

e manuscriptis rectam lectionem praestet, ut Lyd. v. 12 *dulci*, ceteri *dulcia*; v. 24 *ulla*, ceteri *illa*; v. 71 *turpabat*, ceteri *turpabatque* (*turbabatque* Monac. et Parisin. 17177). Praeterea, ut alia minoris pretii de eo libro omittam, nonnusquam id, quod Helmstadiensis contra optimorum et plerorumque librorum consensum recte exhibet, perpaucis et deterioribus etiam confirmatur, ut Dir. v. 3 [1]) *rura* Helmst. Paris. IV Anglican., *dura* ceteri; v. 20 *hinc* Helmst. Voss. I, *haec* vel *nec* ceteri; v. 33 *veteris* Helmst. Paris. III Angl. Vrat. I, *iteris* ceteri; v. 30 *hec* Helmst. Thuan., *nec* ceteri; 58 *infesto* Helmst. Bemb. (m. 2) Paris. IV, *infesta* ceteri. Sed idem liber quanta interpolatione ab Henrico illo fortasse profecta squaleat, ex hisce iam locis satis discimus: Dir. 15 *condamus* | ceteri *condatis*. 28 *herbas et* | *umbras nec*. 29 *euris* | *auris*. 37 *Grecis* | *Threcis*. *inania* | *immania*. 44 *contingat* | *coniungat*. 45 *nostra* | *nostros*. 50 *vites* | *voces*. 52 *pastos* | *pastus*. 54 *revocasti* | *revocasses* vel-*et*. 60 *crinem* | *cinerem*. 88 *adire* | *audire*. Lyd. 14 *veneri* | *teneramque*. 32 *per herbas* (cf. Dir. 28) | *pererrans*. 33 *fastiditur* | *fastidire*. 51 *obstans* | *aetas*. 75 *quid decus* | *quod deus*. Deinde etiam maiore industria cavendum est, ne quattuor Monacenses plerumque consentientes, quibus interpolator quo elegantior eo impudentior providit, tanti aestimemus quanti Baehrens. Nam cum praeter Lyd. v. 55 *cogor*, ubi an *quoque* legendum sit dubitari potest, veram lectionem in Monacensibus solis inventam nescio, tum multas scio, quae sedulam manum scribae male docti ostendunt, ut Dir. v. 19 *gramen* | *carmen*. 31 *in platanis* | *impia cum*. 33 *regna* | *ligna*. 40 *respondens* | *resplendens*. 66 *dicis* | *ditis*. 80 *parcarum* | *praetorum*. 89 *Lycida* | *Lydia*. Lyd. 70 *hoc* | *nam*. 71 *turbabatque* | *turpabat*. 73 *rubeo* | *roseo*. Veteres denique editiones nonnulla probabilia praestant, quae ego num probem dubito.

Ad singula accedamus.

Dir. 1. *cycneas voces*. Notione v. 64 *trade dolores* comparata *cycneas voces* voces tristes lugubresque esse declaro,

[1]) Hoc aliisque locis Baehrensium parum diligenter adnotasse Naekio teste scribo.

quales cycni morientes canere feruntur, non ita tamen, ut cycneis vocibus eandem vim attribuam quam nostro schwanengesang, qui repeti non potest aut, si repetitur, ita non iam nominandus est. Cf. Apollin. Sidon. epist. VIII 9, 4 *quodsi quopiam casu ineptias istas, quas inter animi supplicia conscripsimus, nutu indulgentiore susceperis, persuadebis mihi, quia* (= dass) *cantuum similes fuerint olorinorum, quorum est modulatior clangor in poenis.* Bene de graeca voce *κύκνειον ᾄδειν* Scaliger adnotavit; cf. Naeke. Loci autem in Woelfflini archivo lexicograph. vol. III pp. 66 et 393 collati omnes cycnum *cantatorem funeris sui* ostendunt.

2. *divisas sedes.* Cum participium *divisas* a Badio ‚a domino seiunctas‘ et a Naekio ‚militi assignatas‘ falso explicatum sit, rura illa inter complures milites divisa et distributa esse colligo ex versibus 45, 70, (78?), contra quos numerus singularis in vv. 31, 73, 80 ex usu poetarum positus nihil valet.

3. Tribus primis versibus lectis aliquis reminiscetur Soph. Oed. Col. 1369 sq. *τοιάς δ' ἀρὰς σφῷν πρόσθε τ' ἐξανῆκ' ἐγὼ νῦν τ' ἀνακαλοῦμαι ξυμμάχους ἐλθεῖν ἐμοί.*

4. Elisionibus *vituli ante* et *aquilae ante* librarius quidam et Francius adeo offensi esse videntur, ut ille *vitulique*, hic *aquilaeque* non male mutaret.

6. Sententia est: discordia rerum retro conversarum e. q. s., cf. v. 100.

7. *Multa prius fient.* Optimis libris testibus interpretor: Vieles wird eher geschehen, als meine flöte nicht frei sein. Et alii et Baehrens cum Heinsio pro *multa* rectius *cuncta* legere sibi videbantur; tamen, etsi aequum exemplum ex litteris latinis nunc mihi praesto non est[1]), notionibus vernaculis ut da kannst du lange h. e. ewig warten vel es wird noch mancher h. e. zahllose tropfen ins meer fliessen mihi persuasum est etiam hunc poetam pro *cuncta* voce per se gravi non sine ironia graviorem *multa* scripsisse; huc etiam spectat usus latinus firmi numeri *sescenties* ponendi pro nostro tausendmal. Scilicet me piget *fient* in *fiet* mutato *multa* ad *discordia* trahere, ut sententia sit: multa discordia

[1]) Nisi similiter Cic. nat. deor. I 28 *multaque eiusdem monstra* pro *pluraque.*

rerum conversa prius gliscet quam avena mea non libera fiet, quia *fient*, non *fiet* traditum est, quia *multa* uno iam adiectivo praecedente male claudicat, quia praedicatum *fiet* ante suam coniunctionem *quam* tolerari nequit. — Adicio in eandem verborum variationem *ante* et *prius* me incidisse in Catull. LXIV 189. Prop. I 15, 29. Ovid. ex Ponto II 11, 5. Calpurn. VIII 75. cf. etiam Ovid. ex Ponto III 3, 13—15.

8. *dicam* collato Prop. I 16, 38 *Quae solet ingrato dicere taetra loco* pro *indicam* (cf. v. 3) accipio, cum notionibus dicendi (*dicam*) et faciendi (*facta*) inter se oppositis eum fortasse sententiarum lusum exsistere putem, ut quod Lycurgus manu et ferro id poeta ore et fistula se impetraturum esse glorietur. Baehrens enim, qui *furta* pro *facta* coniecit, unde Lycurgum novum villae possessorem esse sciat, nescio; id scio Lycurgum esse militem neque ullo carminis loco probari et tribus locis, ubi complures villae ereptae domini dici ad v. 2 memoravi, certo refelli. Sane rex ille Thracum, Dionysi inimicus, non satis apte commemoratur, quia hic poeta universas segetes, ille rex vites tantum petiit, atque etiam paulo obscurius quam ab aliis poetis ut ab Ovidio trist. V 3, 39 fieri solet. Aliter vero poeta noster v. 52, ubi flammas ad fundum pervertendum advocatas dicit, nimiam perspicuitatem moleste affectavit, cum flammas Iovi simulque Vulcano vindicare non poetae sit. Tamen nosmet huic scriptori suam insolentiam suamque inscitiam minime dememus reiciemusque pravam illam Baehrensiorum doctrinam nil fere nisi elegantiam aetatis Augusteae respicientium.

9. *Trinacriae gaudia.* Cum gaudia, quae ut in ruribus sterilescant, poeta orat, non ipsa rura, sed semina tantum sint, gaudia Trinacriae quasi proverbialiter divinam felicitatem ubertatemque significare duce Naekio existimo; verba autem *Trinacriae sterilescant gaudia* in universa sterilitatem postulant idque sequentibus votis, quae sunt de aristis, pratis, frugibus arborum, fronde silvarum, fluminibus, singillatim circumscribitur, ut *nec* v. 10 optime interpretemur: und zwar. Confero autem ex sequenti stropha, quam huic accuratissime respondere ad v. 14 ostendam, respondentis versus notionem item sublimem et non vulgarem *Cereris sulci.*

10. *senis nostri.* Poetam, cum agros amitteret, adulescentulum fuisse alio loco docebo. Eam in aetatem optime quadrat senex v. 10 memoratus, quem melioris interpretationis expers patrem poetae grandem natu intellegere pergo. Neque enim coniecturae a doctis prolatae satis mihi arrident, neque parum certa Scaligeri *sinus nostri* aut dura Baehrensi *satis nostris* aut durior Ellisi *seni, nostri* aut durissima Maehlii *sient non infelicia* aut meae *atavis* vel *Sapis* aut Ribbeckiana *suis olim*, quae vereor ut grammaticae satisfaciat, quia plana sententia haec est: rura, quae vestris (non: suis!) h. e. legitimis dominis felicia olim fuistis.

11. *colles.* Rothsteini *caules* pro *colles* propositio primum non necessaria est, cum pascua in altioribus potissimum locis fuisse satis affirmet v. 91 *descendite monte capellae* et, quod exemplum nunc mihi opportune offertur, poematis Neufferiani die landschaft v. 80 Näher den bergen sodann erheben sich grasige weiden; tum pedestris est, denique verborum collocationes perturbat artificiosas:

semina segetes — pascua colles
arbusta fruges — pampinus uvas
silvae frondes — flumina montes

e quibus partibus primas ultimis maximeque colles montibus (cf. v. 87 sq. *colles* — *montes*) apte respondere ne puerum quidem fugiat.

14. Hunc versum sic declaro: denuo incipiamus et hanc, quam modo primum repetivimus, stropham iterum repetamus; nam prece versibus 15—19 composita *hoc carmen* fere ad verbum repetitum esse cognoscas, si ambarum stropharum universas sententias et singulas notiones comparaveris:

11. semina — segetes	15. sulci — avenas
11. pascua	16. prata
12. arbusta — fruges	17. ramis — mala
13. silvae frondes — flumina	18. silvis frondes — fontibus.

19. *devotum carmen* proprie non idem est quod devotivum, ut Naeke et alii censent. Poeta enim orat, ut omnia sua devota fiant, avenae, prata, mala, frondes, fontes, denique carmina sua. Sed carmen, cum devotum sit, re vera etiam devotivum est.

21. *pingit.* Venus, ipsa campos vario colore pingens inducitur etiam a Lucretio I 1—14 et ab auctore pervigili Ven. v. 13 *Ipsa gemmis purpurantem pingit annum floridis* eqs.

24. *auribus.* Heinsius *naribus.* Sed oculis aures (auge und ohr) bene adiunguntur, praesertim cum, ubi flores dulcesque aurae, ibi etiam cantus avium (cf. Lyd. 17) et arguti grylli (cf. Dir. 74) desint, quod utrumque ad susurrum auribus suavem refertur.

25. Versum 25 (et 47) verto: also flehe ich, und in fülle mögen diese lieder unseren wünschen zu gebote stehen multis locis de tali significatione verbi superandi collatis e. g. Cic. fin. V 15 *de eo, quod ipsis superat, aliis gratificari volunt.* Sall. Cat. 21 *quis tolerare potest, illis divitias superare, nobis rem familiarem deesse?* (cf. Dir. 25 *superent — carmina*, 19 *nec desit — carmen*). Tibull. IV 1, 28 *nam quamquam antiquae gentis superant tibi laudes.* Verg. G. III 63 *Interea superat gregibus dum laeta iuventus.* Declaratio autem Naeki (superent haec carmina votis = superet hoc carmen vota mea) grammaticam neglegit, Ribbecki (vota aeternae memoriae commendantur) a loci sententia valde abhorret.

26. *Lusimus. Ah.* Codices praebent *Ludimus et,* quod cum sensu careat, ab editoribus mutari solet in *Lusibus et.* Sed *lusibus* neque cum verbo cantandi satis convenit et iuxta nomen *libellis* supervacaneum est. Quam ob rem Handiano *lusimus* accepto *ah* vel *heu* pro *et* legam, ut gravissima sit poetae querella: iocos amoresque olim cecini, nunc cano Diras (cf. v. 25).

28. *Fundes non.* Bembinus et Monacenses habent *Tondemus*, Paris. Thuan. Helmst. *Tundemus.* Gronovius, quem et alii et Naeke et Ribbeck secuti sunt, cum *tondebis* coniceret, vestigia librorum satis anxie pressit, rem grammaticam parum anxie quaesivit, si formae activae passivam sententiam attribuendam esse sibi persuasit. Baehrens non inepte proposuit *Non duces.* Ipse cum lectionem Bembini *Tondemus* coniectura ortam esse arbitrer ex hac per se minus clara atque ob eam ipsam causam fortasse sinceriore *Tundemus*, *Fundes non* legi malim et conferam Petron. 131 *pla-*

tanus diffuderat umbras aestivas et pro parte Lucr. II 115 *solis lumina* (se) *fundunt per opaca domorum* atque Verg. A. III 152 *luna se fundebat per fenestras.*

29. Cum sex deinceps verba *comantis Iactabis mollis ramos inflantibus auris* littera *s* exire videam et audiam, non dubito, quin poeta dulces arborum strepitus imitari conatus sit, ut simili peritia linguae rhythmique usus flumina properantia properanti rhythmo quasi pinxit Dir. v. 67 *Flectile currentis lymphas, vaga flumina, retro,* rursus haesitantia haesitanti Lyd. v. 18 *Tardabunt rivi labentes currere lymphae.*

30. Hic versus, cum de silva eum intellegi non posse Ribbeck p. 52 sq. docuerit, cum progressionem orationis loco tradito pessime discindat, cum alios intercalares exitu suo *Battare carmen* aequiperet, duce Goebbelio a suo loco removendus et duce Baehrensio pronomine *haec* pro *nec* ex Thuaneo et Helmstadiensi hausto post v. 36 ponendus est.

34. *Nequiquam.* Sententiarum conexus est: nequiquam miles silvam caedere conabitur; nam nostris potius e. q. s. Querellas enim de impio interitu silvae cantatas poeta illo voto interrumpit, ut silva a se ipso devota potius ignibus aetheriis pereat quam ferro nefarii militis. Atque simul cum sententia violenter mutata constructionem flectit, ita ut de silva non iam persona secunda, sed tertia loquatur, quia Iovem imprimis, parentem silvae, in animo habet.

36. *Iove* pro librorum *tibi* coniectum a Maehlio et Hauptio sensu et concinnitate non modo huius, sed etiam Vergiliani loci ecl. III 61 *Ille colit terras, illi mea carmina curae* postulatur; ablativus vero, quem voce *haec* retenta Haupt laudavit — Maehly autem *ab*, Baehrens *ec* coniecerunt — pro ablativo ex praepositione *ab* pendente etiam invenitur Hor. c. I 6, 1. epist. I 1, 94; 19, 13. Ovid. her. XII 162; Prop. III 29, 41. Aliquando volui: *Iuppiter hanc auxti: cinis haec tibi fiat oportet*, sicut *dixti* scribunt v. 41.

41. *Non iterum discet.* Huius loci nitori corruptelam officere dolet. Multi ediderunt *Noscet iter ducens Erebo tua, Lydia, Ditis,* quae lectio his tantum libris firmatur: Med. I saec. XV *noscet iter herebo tua lydia ditis,* Paris. IV saec.

XV post v. 43 *noscet intra duces erebo* (vel *crebo*) *tua lydia ditis*, qui liber praeterea recto loco rectius seu minus falso tradit *non iterum dices*; sequentia quam varientur, vide Naekium Ribbeckium Baehrensium. Corruptelam latere existimo imprimis in *dicens* vel *ducens* et in *ditis* vel *dixit* vel *dixti*, quae forma in Helmstadiensi Parisino 7927 Thuaneo tradita, cum minime usitata sit, potius a poeta profecta esse videtur quam a librariis; *ditis* autem e versu 66 in hunc locum irrepsisse censeo. Schmidtiano igitur *quae* pro *tua* recepto *Non iterum audibit, crebro quae, Lydia, dixti* laudari iubet Baehrens, nos vetamus. Nam, ut molestam elisionem *iterum audibit* omittam, formam ipsam *audibit* rarissimam atque traditae dissimillimam huic poetae per coniecturam imputare audaciae temeritatisque esse mihi videtur, quandoquidem, etsi eum, qui ad verbum *pingit* v. 21 locum similem citavit, etiam de insueta forma *audibit* aliquid adnotare non dedecebat, Baehrensium more tironum lapsum esse non est quod credam. Equidem suspicor poetam scripsisse: *Non iterum discet, crebro quae, Lydia, dixti,* ubi syllaba *disc* ipsis libris partim *dicens* partim *ducens* exhibentibus paene postulatur. Significatio autem silvae carmina amatoria discentis bene confirmatur his locis: Verg. E. I 5 *Formosam resonare doces Amaryllida silvas* et Lyd. 8 et 19. Totum denique eius querellae genus isdem fere verbis repetitum v. 92 recurrit, ubi adiectivum *nota* notioni *crebro quae dixti* accurate respondet.

43. *aurae.* Non cum Heinsio *auras* legendum esse Goebbel (a. 1865) mihi persuasit.

44. De audaci voculae *et* collocatione infra in altero capite exponam.

49. Eadem vocis *litora* repetitio occurrit in Prop. I 11, 28 sq. *Multis ista dabant litora discidium, Litora quae fuerant castis inimica puellis.* De sententia cf. Liv. XXI 54, 8 *aurae fluminis.*

50. Verbum migrandi huic satis placuit, cf. 100. 101.

52. *arcet.* Scaligero *ardet* et Heinsio *uret* praeeuntibus Ribbeck *arsit* coniecit, non iure. Nam sententia contraria est: ii agri, qui flammis non perierint, aquis pereant vel, ut hic dixit, ii agri, quos Volcanus ignibus Iovis arcet, Syrtes

nominentur. Syrtem enim non tam harenam quam mare ipsum harenae adiacens eaque mixtum appellari ostendit Horatius carm. II 6, 3 *Barbaras Syrtes, ubi Maura semper Aestuat unda* et epod. IX 31 *exercitatas aut petit Syrtes Noto* Ov. am. II 16, 21 *Libycas ausim perrumpere Syrtes Et dare non aequis vela ferenda notis;* cf. Sall. Iug. 78, 1 sq.

53. Notionem *soror altera* Naeke docte exposuit.

54. *revocasses.* Verbum revocandi, si *revocasti* cum uno Helmstadiensi editur, responsionem illam exprimit quae fuit in priore carmine amoebaeo, cuius se meminisse poeta dicit, ~~factam exprimit~~, si legitur *revocasses* cum Anglicano et Parisinis II et III, cuius loco optimi sine sensu simillimum *revocasset* praebent, repetitionem exprimit his Diris factam. Quare cum v. 1 *repetamus,* v. 2 *iterum canamus,* v. 14 *repetamus,* v. 30 *resonabit,* v. 96 *revocemus* de repetitione posita sint, et subtilissima et obscurissima eiusdem (cf. v. 96) vel similium verborum distinctione carmen premeretur, si *revocare* in vv. 54 et 71 non de repetitione his ipsis Diris facta, sed de alternatione alieni carminis acciperetur. Sententia autem versuum illorum lectione *revocasses* recepta talis oritur: hanc stropham, Battare, si partes alterius cantoris ut olim ita nunc suscepisses, pulchrius, quam ego modo repetivi, te repetiturum fuisse puto, qui illius strophae a te cantatae dulcem tristitiam memoria bene teneam. Est igitur illa cantatorum modestia, qua Vergiliani quoque pastores utuntur.

60. *cinerem*, scil. quem incendium silvae reddidit.

63. *tuis infundimus arvis.* Versum 64 ante v. 67 posuisse et versum 65 de Neptuno intellexisse et v. 63 *tuos sine fundier amnis* mutasse Baehrensium sane non dedecet. Leniore autem remedio locum corruptum sarsit Birt, cuius interpretatione: *Si minus haec* (scil. arva; cf. v. 50 *migret Neptunus in arva*), *Neptune, tuis infundimus arvis* = wenn ich zu wenig mit deinen feldern, h. e. fluten, die meinen übergiesse, sententia paulum artificiosa, tamen bona oritur; cf. Verg. A. VIII 695, *arva Neptunia* Cic. Arat. 129 *Neptunia prata*; cf. Verg. A. II 780; III 495. Ovid. trist. I 2, 76; III 12, 36. Etenim si cum Heinsio *tuas infundimus auris* legitur, notio infundendi, cum cetera fundendi verba vv. 49, 51, 68,

77 poeta ad ipsam inundationem retulerit, inepte ad aliud atque ad undas infundendas spectat, atque duo accusativi e verbo infundendi pendentes neque exemplis probantur neque tolerantur; potius legerem: *Si minus haec* (scil. vota), *Neptune, tuas infundis in auris.*

64. *dolores* appellat tristia vota sua, cf. ad v. 1.

66. De hoc versu cum Ribbeckio (p. 55) facio.

71. *dulcius.* Ne quis Ribbeckio aliisque suadentibus sententias inter se graviter oppositas ex vocibus *dulcius* et *tristius* v. 54 quaerat, citamus Lygdami, ubi verba Apollinis dulcia simulque tristia dixit, carm. IV 42 *Edidit haec dulci tristia verba modo.* Legas, quaeso, etiam Ov. am. III 1, 4. *dulce queruntur aves* et Lucr. IV 584 *dulces querellas, tibia quas fundit.* Nihil igitur poetam affectasse affirmo nisi amoenam non tam sententiarum quam verborum variationem.

73. Interpretationem huius versus dubiam esse p. 12 adnotavi; ceterum *hic* pronomen locale esse etiam Ovidiano loco affirmatur metam. I 294 *Et ducit remos illic, ubi nuper ararat.*

74. *Calcet et.* Libri permire variant, ut Baehrens testatur, *Cocule t* B. P, *Cogule t* T, *Ćoculet* M (B. m. rec., quae mg. l'*occultet*), *Concule ubi* H. Vulgata est *occupet*, quin etiam Maehlio *incolat* placuit; utrumque tamen mihi displicet, quia peritus quidam rerum naturalium me cava gryllorum multo angustiora esse docuit quam ut ranis incoli queant, praeterea vocem simplicem et claram *occupet* in tam multas variasque corruptelas semper litteram *l* praestantes transiisse parum verisimile est. Quare ipse *occulat* excogitavi, sed Birt coniunctionem *et* necessariam esse arbitratus melius coniecisse mihi ipsi videtur, quod iam C. F. Hermann, *Calcet et*, qui ordo verborum nostris auribus male sonantium e. g. invenitur etiam Prop. II 8, 20 *calcet et.* Iuvat denique me studiosum rerum germanicarum comparare sententiam non dissimilem Waltheri von der Vogelweide (Lachmann) 65, 17 sqq. Die sô frevellîchen schallent, . . . die tuont sam die frösche in eime sê, den ir schrîen alsô wol behaget, daz diu nahtegal dâ von verzaget, sô si gerne sunge mê.

75. *rursum dicit* propter ea, quae ad v. 54 exposui, idem esse censeo quod *repetit.*

76. *fumantes imbres.* Maehly pessime *undantes.* Contrario modo Vergilius fumum undantem dixit A. II 609 *Saxa vides mixtoque undantem pulvere fumum*; cfr. et Verg. A. VII 465 *fumidus amnis* et Luxorius (Baehrens P. L. M. IV 417 v. 9) *fumantia vernant Pascua.*

78. *Qui,* scil. campi.

79. *Unde elapsa.* Parataxin quam vocant statuens intellego: si unda agros meos pervenerit (fut. exact.), advena piscetur (coni. praes. = fut. I); *unde* autem pro *et inde* scil. e praediis vicinis dominorum aliorum (cf. v. 78) positum esse puto. Ceterum si quis coniunctivum praesentis pro futuro simplici usurpatum in parataxi tolerari posse neget, Horatius etiam illud scripsit sat. II 7, 32 sqq. *iusserit ad se . . venire convivam, . . blateras clamore fugisque;* cf. Pers. IV 25 sq., V 189 sqq. Verg. A. III 90. Ceterum dubitari potest, an adverbium relativum *unde* ita ut *ubi* etiam loco coniunctionis temporalis esse possit. Tamen cum *unde* malum sonum cum extremo versu *unda* certantem efficiat, cum, si parataxis accipitur, adiunctio enuntiationis pronomine relativo facta valde offendat, cum denique in hoc voto omnia vota praecedentia complexo exprimi verisimile sit undas in omnia fundi loca pervenisse, parataxi posita coniecerim *Undique lapsa meos agros pervenerit unda* h. e. ist dann die woge von allen seiten hergleitend auf meine felder gelangt, so eqs.

80. Notio *nostris in finibus*, postquam proximo versu iam *meos agros* antecessit, summam habet gravitatem.

82. *praetorum crimine.* De praetoribus in capite secundo verba faciam; *pratorum crimina* Rothstein retineri voluit nec vero explicavit: nimirum mentio pratorum iuxta agellorum explicari nequit. Baehrens vero voce *crimine*, quia in versus 81 eadem sede antecedit, adeo offensus est, ut, etsi in v. 85 *funesti belli* subsequitur, *pravo certamine* mutaret, frustra; neque sensit ille etiam in vv. 65 et 67 iisdem sedibus *flumina* nomen bis deinceps occurrere. Opportune versus 66, si loco tradito retinetur, inter duplex illud *flumina* intercedit, item si loco per Ribbeckium accepto, ambo *crimine* intercedens seiungit.

83. *tui.* Rursus Baehrens, ille non scribarum, sed scriptorum saepius castigator, dictionem pulchram et exquisitam *tui* vili et vulgari coniectura *boni* eicere ausus est. Sed Propertius I 22, 5 *cum Romana suos egit discordia cives.* Item noster *tui* ea industria scripsit, ut cives a discordia, quam ut personam alloquebatur, captos esse significaret.

84. Eadem similium notionum copia de eadem re usurpata invenitur e. g. Ter. Phorm. 751 *essem anus deserta egens ignota* cf. Heaut. 257.

88. *audire.* Poeta campos, quos ne oculis conspiciat, collibus et montibus obstantibus impeditur, voce scilicet valere iubentem se facit; itaque agri, si eum non conspexerunt, tamen audiverunt. Contra agrestis est coniectura Haupti *haud ire* in nonnullis veteribus editionibus *nec adire* exhibentibus quodam modo iam prolata.

89. Cf. v. 32 et Lyd. v. 2.

90. *et, felix nomen, agelli.* De praedio, nisi forte quis imprudens vv. 22 aut 72 citat, nusquam numerus singularis adhibitus est, cf. vv. 2 sq., 10, 16, 21 sq., 45, 49 sqq., 51, 61, 63, 68, 70, 77, 79 sq., 82, 84, 86, 88, 89 sq., 90, 94 sq. Itaque hoc quoque loco *agelli* fieri non potest ut genetivus singularis sit pendens ex *nomen*, sed *felix nomen* appositionem esse vocis *agelli* auctore Heinsio arbitramur.

93. de *patre* p. 8 sq. nonnulla animadverti. — *Tuque resiste pater et prima, novissima nobis*, ut codices testantur, retineam paululo artificiosius interpretans: resiste pater gregis, resiste prima capella, nobis novissima, ita, ut per lusum sententiarum dicatur: gregi prima, nobis novissima es. Nolo tamen olim recepto ex editionibus antiquis *en* pro *et* me legisse *en prata novissima nobis* i. e. hier ist die grenze der felder. Sed melius Birt proposuit *sit prima* (scil. capellarum) *novissima nobis*, quod sic vertit: und die geis, die die erste, sei jetzo die letzte, qua de sententia comparem Odyss. IX 447 sqq.

κριὲ πέπον, τί μοι ὧδε διὰ σπέος ἔσσυο μήλων
ὕστατος; οὔ τι πάρος γε λελειμμένος ἔρχεαι οἰῶν,
ἀλλὰ πολὺ π ρ ῶ τ ο ς eqs.

Baehrens autem, quid hic expectaret, significaturus editionem

suam hoc ornamento affecit *miccite novissima nobis* h. e. meckert mir den abschiedsgruss.

94. Verg. ecl. I 67 sqq. conferens intellego: longumne tempus sine illis esse mihi imminet?, cum *longum* non, ut solet, ad *intueor*, sed ad *esse* traham. Nam quod verbum *manet* accusativo eius rei vel personae, quam aliquid manet, hoc loco caret, non tantopere hoc me offendit, ut ad coniciendi periculum confugi necesse esse putem.

96. *Sive eris et si non, mecum morieris utrumque.* Haec verba proprie et ad verbum translata hanc sententiam in lingua vernacula faciunt: wenn du sein wirst und (auch), wenn (du) nicht (sein wirst), mit mir (erst) wirst du beidesfalls sterben. Habemus igitur, ni fallor, affirmationem illam recordationis aeternae multum iteratam a poetis amantibus et a Propertio, elegantissimo poeta, exsuperatam iuramento illo *huius ero vivus, mortuus huius ero.* Idcirco eadem sententia liberius et clarius versa sic fere se habet: Und ob du lebst, ob verdirbst, mit mir nur stirbt dein gedächtnis. Offensio autem, quae in singulari responsione *sive — et si* inest, satis inde tolli mihi videtur, quod particula item singularis *utrumque* addita est, quae si non posita esset, ut correlationem illam inusitatam explicaret, supervacanea esset et male abundaret; quam ob rem coniecturas, quibus usitata dictio *sive — sive* vel *si — sive* reficitur, contemno omnes. De verbali usu nominis *esse* si iubemur citamus Cic. fam. VI 3 *Nec enim, dum ero, angar ulla re et, si non ero, sensu omni carebo.* Verg. A. II 325 *Fuimus Troes.* Lygdami V, 32 *Sive erimus seu nos fata fuisse velint.* Ceterum in iis quae Naeke attulit exemplis particula *utrumque* duobus substantivis, non enuntiatis ut nostro loco addita est; ipse aptiora quae comparem frustra quaesivi.

100. *casus.* Rothstein proposuit *auctus; migrabant* enim, ut apud Rothsteinium legitur, errore librarii factum esse apparet. Sed mea quidem sententia casus rerum sunt ea, quae rebus accidunt, vel, ut Aristoteles dicebat, συμβεβηκότα.

101. *tua, funde, meis.* Totum epodum non ad puellam amatam, sed ad villam spectare per se verisimile est atque nonnullis signis certum fit. Primum enim, cum non puellam,

sed villam canendam sibi proposuerit, etiam extrema stropha ad villam, unde profectus erat, redeundum ei fuit. Deinde magna similitudine, quae inter epodum et proodum intercedit, nobis persuadetur his strophis simillimis etiam easdem res dictas esse. Tum *gaudia* v. 103 ad *gaudia* v. 9 respicere videtur. Postremo fieri non potest, ut sanus interpres illud *quamvis ignis eris, quamvis aqua* de homine accipiat, id quod, si nihil mutabitur, opus erit. Qua consideratione commotus Goebbel, cui etiam Ribbeckium obsecundasse miror, versus 102 et 103 post v. 90 posuit, sine ullo iure. Primum enim duo versus 88 et 103 tribus tantum versibus seiuncti in eandem vocem *licebit*, cuius adeo significatus diversus sit, male et absone exeunt; deinde enuntiatio *quamvis ignis eris*, *quamvis aqua* neque ad *felix nomen* spectare potest vetante sensu et verborum collocatione neque ad *agellos* propter horum numerum pluralem. Quibus rebus perspectis cum, nisi versus excidisse putatur aut aliquid lectionis mutatur, versus de Lydia intellegendi sint, id, quod molestum est, litteras librorum manuscriptorum *tua de* in *tua funde* leniter correxerim, praesertim cum syllabam *fun* iuxta similem *tua* facile perire potuisse verisimile sit, deinde *nostris*, pro quo Helmstadiensis exhibet *tuis*, in *meis*. Birti autem quam mecum communicavit coniectura (*quam tua*, *ager*, *nostris*) per se probabilis, cum poeta de praedio nunquam (cf. ad v. 90) singularem *ager* adhibuerit, probari non potest.

Lyd. 7. *interea* retineri posse et debere infra docebo; de sententia versus cf. Prop. I 12, 6. *Cynthia nec nostra dulcis in aure sonat.*

11. Simplicior collocatio *digitis viridem*, non elegantior *viridem digitis* auctoritate et numero codicum comprobatur; cf. Dir. 65.

12. De loco particulae *namque* infra scribam.

13. Praeclaram emendationem Eichstaedti *spirantia* pro vulgata *stipendia*, quam Naeke defendisse frustra sibi visus est, etiam meus Parisinus quodam modo testatur exhibens, si modo auctori meo confidi debet, *sp(i)rentia.*

16. Et ordinem versuum, quem Ribbeck v. 18 ante v. 17 posito turbavit, et lectionem singulorum verborum, quam

Baehrens *montes* pro *fontes* recipiens inquietavit, optime tuetur locus Vergilianus ecl. X 42 *Hic gelidi fontes, hic mollia prata.*

18. Spondiaco rhythmo tardantes undae bene describuntur; cf. ad Dir. v. 29. Quia *silvae, prata, fontes, aviumque silentia* per numerum pluralem antecedunt, concinnitatis causa pro genetivo singularis *rivi* dativum pluralis *rivis* emendare aliquando volui.

22. *At male tabescunt.* Cfr. simile versus initium Dir. 82 *O male devoti.* Nonnulli laudant *mihi* coniectum pro lectione omnium librorum. — Pro *morientia* fortasse *mordenti* est legendum.

26. *Fabula non vana est.* Cf. v. 44 sq. Ingenium illius aetatis, qua vix quidquam ab hominibus credebatur, sed omnia in dubium vocabantur, et hac et similibus saepissime apud poetas enuntiationibus optime significatur. Cf. Lygd. IV 68 *Non est in vanum fabula ficta iocum.* Verg. G. III 391 *si credere dignum est.* A. VI 173 *si credere dignum est.* Ovid. a. a. I 79 *quis credere possit?* III 511 *experto credite!* epist. IX 119 *licuit non credere famae.* met. V 262 *vera tamen fama est.* Martial. VII 88, 1 *si vera est fama.* Claudian. XLV 3 *nec mihi credibilis visa fama.* Octavianus (Baehrens IV 254) 23 *Eumenides dirae, fallax quas fabula narrat.* — *Iove digna.* cf. Prop. I 13, 29. II 2, 6.

27. *Iuppiter avertas aurem!* scil. ne amore puellae tantis laudibus elatae incendaris; cf. Prop. III 34, 18 *Rivalem possum non ego ferre Iovem.*

28. Cf. v. 31 et Dir. v. 93. De sententia cf. Nemesiani ecl. IV 26 *Cerva marem sequitur, taurum formosa iuvenca* et Ovid. a. a. 279 sq.

33. *silvis* pro *in silvis* dictum est. — *fastidire* verbum, quod critici coniecturis non bonis ut Heinsius *fas sit adire* et Maehly *vestigare* inquietaverunt, quamquam exempla latina mihi desunt, poetam audacia ut magna ita pulchra usum pro *fastidiose carpere* posuisse arbitror.

36. *ploravit amores* iterum in extremo versu recurrit v.72.

37. *fuisset.* Sic una omnes voce libri testantur, rectissime. Sententiarum enim tenor hic est: taurus et caper et quicumque est mas semper cum feminis suis iuncti sunt: ex

ea re nonne concluditur etiam nobis hominibus eandem amoris felicitatem, etiamsi nunc non iam sit, olim fuisse? Itaque, si v. 47 sq. maximeque v. 76 sq. *Infelix ego, non illo qui tempore natus, Quo felix natura fuit* recte contemplati erimus, quin natura initio hominibus facilis fuerit, poetam non dubitasse credo. Ita coniecturam Salmasi et Heinsi *fuisti* a plerisque editoribus receptam non necessariam esse statuo.

38. Voces *tam saepe* quam vim habeant, infra ostendam. Eadem querella invenitur e. g. apud Ovidium amor. II 16, 41

Ulmus amat vitem, vitis non deserit ulmum:
Separor a domina cur ego saepe mea?

39. Oratio poetae dubia et ambigua est, cum caelum sole et oriente et occidente viride sit atque verbum redeundi de stellis et nascentibus et evanescentibus dici queat. Lunam autem cum Endymione — is enim ille *tuus* v. 41 est — ex opinione veterum per noctem convenire solere Naeke p. 165—169 firmavit.

40. Cum stellae nascuntur, tum evanescit sol. Quo consilio Heinsiano *Phoebi* pro *Phoebe* (Monac. *Phoebus*) accepto conieci — nam conici opus est — *Inque vicem Phoebi currens abit aureus orbis,* ubi verbum abeundi verbo redeundi non male respondet et propius quam omnes quas cognovi coniecturarum ad ductus librorum *atq.* accedit *abit.* Nam notionem solis abeuntis exemplis confirmare vix opus est; modo cf. Plaut. merc. III 2, 32 *sol abit* et Hor. c. III 6, 44 *abeunte curru* scil. Phoebi. Coniecturas autem, quas refellere difficile esse nego, docti protulerunt:

Haupt *Phoebus currens redit aureus orbi,*
Ribbeck *Phoebi currus fugat aureus orbis,*
Maehly *Phoebes surgens rotat aureus orbis,*
Baehrens *Phoebus currens cadit aureus undis,*
Rothstein *Phoebi currens cadit aureus orbis.*

41. *tuus tecum.* Cf. v. 35 *tecum tua.* — *cur non est et mea.* Cf. v. 37 *Cur non et nobis.*

43. *querens.* Dubitavi et dubito, quid recipiam: commotus et narratione Ovidiana et pulchro illo versu nostri Schilleri dieser Lorber wand sich einst um Hilfe eandem pulchritudinem dicendi huic bono poetae vindicavi pro tradito

gerens (*moerens* Paris. IV *merens* h. e. maerens Med. et Angl.) recipiens *querens.* Naeke aliique *recens.* Sed enim nescio an *gerens* (scil. amorem) retineri possit, ut sententia fiat: laurus, quae circum frontem tuam cincta tuum erga Daphnen amorem gerit h. e. omnium oculis ostendit, amorem omnino celebravit.

44 sq. Poeta quantum e codicibus deperditis cognoscitur, haec fere dicere voluit: siquidem ea, quae de puellis deorum aut in arbores plantasve conversis aut inter sidera relatis narrantur, non vana sunt, omnes dei, quibus serta aut sidera sacra sunt, amorem celebraverunt. Id his fere verbis expressit: amorem celebraverunt gaudia, quae quisque deus aut semper secum sua gestat aut in caelo sparsa videt. Haec gaudia stellas esse satis elucet, illa arbores plantasve esse sic non apparet. Quam ob rem cum in v. 44 *silvis* traditum sit, veto et vetabo per vilem coniecturam tolli mentionem silvarum, quae maxime necessaria est. Etenim si me duce nil nisi *vos* in *dis* mutaveris, remedio omnium facillimo adhibito expectatam sententiam reficies *Et quae* (scil. gaudia) *pompa deûm* (*nisi silvis fama locuta est: Omnia dis estis!*) *secum sua gaudia gestat Aut insparsa videt mundo* eqs. Haec igitur sententia est enuntiationis intercalaris: nisi pro deis ipsis vana fama silvis dixit deis illas esse omnia. Velim conferas de loco Prop. I 18, 19 sq. *Vos eritis testes, si quos habet arbor amores, Fagus et Arcadio pinus amica deo* et Nemes. ecl. IV 29 (*Venerem sensere*) *Et montes silvaeque suos habet arbor amores*, atque de sermone *omnia alicui esse* Liv. XL 11 *Demetrius iis unus omnia est* et Ovid. her. XII 162 *qui nobis omnia solus erat.* Ceterum *silvis* non ob eam tantum causam retineri necesse est, quia aliter prius amorum caelestium genus vix recte cognoscitur, sed, id quod summum est, secunda persona, quae in verbo *estis* habetur, nil est quo spectet; nam cum *omnia* vox subiectum enuntiationis esse nullo modo possit, secunda persona, quae verbo *estis* significetur, non est nisi silvae, ad quas dei olim locuti sunt: omnia, silvae, nobis estis. Denique locus quibus difficultatibus prematur, ostenditur pompa illa quattuordecim coniecturarum a Scaligero usque ad Rothsteinium concoctarum. Ita probabile, non rectum me invenisse confido.

47. *Aurea* quamvis hic *saecula* dixerit, de aetate heroica eum cogitasse ex exemplis Ariadnae et Medeae elucet, ut dubitari debeat, utrum aurea saecula nihil aliud significent atque antiquissima illa et felicissima tempora an, id quod mihi veri est similius, doctus poeta paulum lapsus sit. Certe tum quidem Ovidius metamorphosis nondum scripserat.

48. *similis fuerat.* Membranae habent *similisque foret* sine sensu; editiones autem antiquae, inter quas bonam Basileensem anni 1543 primam esse video, *similis fuerat*, quod quamquam magis ex coniectandi facultate quam ex librorum subsidiis profectum esse suspicor, et sensui huius loci et usui poetae satis facit. Plusquamperfectum enim, quod loco imperfecti aut perfecti positum primo obtutu aliquem offendat, nescio an id affirmet et augeat aetatem, qua hominibus quoque felices amores erant, iamdudum praeterlapsam esse. Quod utut se habet, eadem dicendi licentia usus est non modo Prop. I 12, 11 *non sum ego qui fueram* (= fui) et Ovid. epist. I 115 *Certe ego, quae fueram* (= fui) *te discedente puella Protinus ut venias facta videbor anus*, sed etiam hic ipse in v. 69, ubi sententia est: cum Venus amore Adonidis fruebatur, tum Mars *in armis distentus fuerat* (= erat), cum de eodem tempore imperfectum *faciebat* subsequatur. Quam ob rem etsi certi quidquam dici non potest, editioni Basileensi confido. Scilicet Ribbeckianum *similisque fuit* ne intellexi quidem, atque Baehrensianum *similis fulsit* nimia elegantia laborat.

49. *praetereo.* Cum codices unanime testentur *praeterea*, etiam de *praeteream* (praetereā) cogitari potest. — *notum Minoidos astrum.* Sane notas esse fortunas Ariadnae et Medeae poeta romanus illius aetatis dicere iure debuit, cum iam Ennius tragoedias scripsisset *Medea exsul* et *Medea Atheniensis*, quas fortasse non minus quam graecas etiam postea lectas esse Cicero e. g. testis est fin. I 4 *Quis enim tam inimicus paene nomini romano est, qui Enni Medeam aut Antiopam Pacuvi spernat aut reiciat, quod se iisdem Euripidis fabulis delectari dicat?* De Ariadna tamen qui versum composuerit inter Romanos vetustior Catullo mihi non praesto est. Sed tum inter nobiliores Romanos iam pauci tam rudes erant aut haberi volebant, quin poemata Graecorum,

imprimis Alexandrinorum, cognovissent; cf. de doctrina aetatis Terentianae Heaut. prol. v. 7 sqq. Prolepsis, qua hic non ipsam Ariadnam, sed coronam eius in sidus versam ampliorem eruditionem affectans nominat, neque apta est, quia eo tempore, cum Thesea sequebatur, corona Ariadnae nondum in astris erat, neque ut ego censeo, satis urbana, quia non amantem, sed perfidum potius Thesea poeta in memoriam revocat, cuius rei elegantissimus testis est Ovidius in metam. VIII 175. Verum enim videas, quam facile huic prolepsis inde acciderit, quod modo de gaudiis deorum *mundo insparsis* verba fecerat.

50. Prava scientiae affectione abusus poeta notionem clarae sententiae obscuram fecit, ut, quae virgo quem virum secuta sit, intellegi statim non possit. Quam similiter quantoque pulchrius Propertius eundem ut videtur Alexandrinum aemulatus dixit III 34, 8 *Colchis et ignotum nonne secuta virum est?* Optime autem noster, ut Naeke admonuit, imagine puellae captivae adhibita vim cupiditatemque amoris distinxit, quo Medeam Iasonem complexam et secutam esse inter omnes constat.

51. Collocationem verborum, quanta gravitate sit, non neglegere mihi liceat: in capite legitur *laedere*, in fine *aetas*, ut ea, quae ex sententia opposita sunt, etiam loco inter se certent.

52. Comparativus *durior* ne cum bestiis deisque componatur, verba *nostra aetas* cavent. Nam sententia illa modo praemissa priscis temporibus etiam hominibus aequam in amando condicionem datam fuisse id potissimum poeta queritur, quod suae ipsius aetatis condicio durior h. e. minus facilis sit quam illius antiquissimae.

53. *ego*. Quod primum in Basileensi libro invenitur, *egon* recipiendum esse plerique editores iniuria censuerunt, cum interrogatio particula interrogativa remota multo gravior fiat; cf. Dir. v. 94. Lyd. v. 66 sqq. 72 sq.

54. *vitam* unanimam librorum memoriam ingenium Pomponi Sabini in *vittam* correxit, quandoquidem amantes minus vitam quam pudorem puellarum temptare solent. Vittam autem, ut constat, Romanae in capite ferebant insigne non

tam virginitatis quam castitatis. Alia fuisse videtur virginum, cf. Val. Flacc. VIII 6 *Ultima virgineis tunc flens dedit oscula vittis,* alia matronarum, quam virgines die nuptiali sumere solitas esse discimus e Properti carmine V 11, 34 *Vinxit et acceptas altera vitta comas.* Consentaneum est, si vitta pudoris signum habebatur, meretrices ut pudore ita vitta caruisse, cuius rei testem scio Plaut. glor. 791 *Itaque eam* (scil. meretricem) *huc ornatam adducas: ex matronarum modo Capite compto crinis vittasque habeat adsimuletque se Tuam esse uxorem*; neque secius Tibull. I 6, 67 *Sit modo casta, doce, quamvis non vitta ligatos Impediat crines nec stola longa pedes.* Quae cum ita sint, de mentione sacratae vittae id concludi iam non potest, quod apud Ribbeckium (Gesch. der röm. Dichtung) inveni, hunc uxorem alicuius amavisse. Etiam amores Iovis Veneris Aurorae infra citati vereor ut eius modi notam admittant.

55. Hic est sententiarum tenor: egone primus virginem violavi, ut immaturam mortem obeam? Nam morior desiderio puellae. Oratio autem *immatura fata solvere* nihil aliud exprimit nisi immaturam mortem obire, cuius interpretationis exempla affero Sall. Iug. 69 *capite poenas solvere,* Tac. a. VI 26 *supplicia persolvere,* Suet. Cal. 26 *mortem persolvere.* Quare *vota* coniectura Ribbecki, quam ne intellexisse quidem me doleo, certo supervacanea est. Libri autem sic tradunt: *meae* omnes; *quoque* omnes praeter Monacenses, qui *cogor; nece* plerique, *noxae* nonnulli deteriores. Quibus lectionibus probatis Naeke restituit *Immatura meae quoque noxae solvere fata?,* quae verba hanc sententiam reddere iubet: immaturam mortem obire estne etiam meae culpae? Attamen verbum *est* aegre desideratur et particula *quoque* non satis intellegitur atque *noxae* parum fidei habet. Quae cum ita sint, nos partes Haupti sequamur, qui cum versum 55 cum antecedentibus coniunxisset, facili mutatione loco sic medicatus est: *Immatura mea cogor nece solvere fata?,* ubi *immatura,* si neglecta re grammatica proprio sensui consulitur, ad *nece,* non ad *fata* spectat.

58. *Non mea, non ullo* cuncti libri habent, unus Vossianus *Nam mea non.* Habetur igitur in optimis libris illud

orationis artificium, quod grammatici nominant epizeuxin, ita ut inter verba per epizeuxin repetita aliud verbum contra communem usum insertum sit, cuius rei tamen exempla non desunt; cf. Verg. A. II 644 *Sic o sic positum adfati discedite corpus,* Prop. II 13, 25 *Sat mea sat magna si tres sint pompa libelli,* Martial. epigr. XI 1, 1 *Quo tu, quo, liber otiose tendis.* Oed. tyr. 685 ἅλις ἔμοιγ', ἅλις eqs.

59. *primus.* Rursus consensui manuscriptorum, qui *primum* praebent, editio Basileensis praecellit, in qua recte legitur *primus;* ego scilicet *primum,* quod Naeke recepit neque ullis tamen verbis tutatus est, interpretari non possum. Sed cum illo *primum* convenit *diceret,* ut fere omnes membranae tradunt, velutsi *fama* subiectum esse librarii putaverint. Bembinus vero et Vratisl. II, quem librum ex editione quadam hausisse verisimile est, et Parisinus meus recte servaverunt *Dicerer.*

61. *Nam* omnibus libris firmatum coniecturis *Nunc* et *At* repudiatis retineo hanc sententiam supplens: sed fama mea morietur. Nam eqs. — *impia fata.* Libri exhibent *impia vota* (cf. Dir. v. 3), sed mentio votorum quid hoc loco sibi velit, nemo dixerit. Ridiculam sane sententiam Naeke (p. 193) poetae attribuit: votis meis, ut ipse auctor amoris essem, factum est, ut auctor non sim. Nempe Iovem auctorem amoris esse ne poetam quidem fugerat. Heinsius igitur rectissime *fata* emendavit. Sed sicut Hermann et Putsche, ipse incertus sum, utrum etiam *invida* Heinsianum recipiam an *impia fata,* quod exemplis non careat, retineam.

62. *Auctor error* eadem ratione dicit qua v. 54 *culpa magistra.*

63. *vultus.* Libri *factus*, Helmstad. solus ex coniectura ut videtur (cf. v. 65) *furti,* quod defendisse Naeke sibi neque aliis videtur. Scaliger autem quo consilio *fastus* proposuerit, non video. Itaque Baehrensiana emendatione quae est *vultus* variae speciei mutationes, quibus parens hominumque deumque feminas a se amatas decipere solebat, rectius et clarius significari mihi videntur.

66. *Et mecum* lectionem traditam alius aliter petiit. Ego tamen interrogationem statuens retineo, quod in membranis

est, cum poeta id potissimum neget se ipsum amores primum egisse dicens: Et mecum Cypria illo tempore lusit? minime, nam Adonis tum fuit amicus Veneris. Coniunctione *et* enim amores Veneris amoribus Iovis adnectuntur, cf. v. 44 *Et quaecumque*, v. 72 *etiam*. Maligne autem praeter Adonidem alios Veneris amasios enumerat, Martem et, quem solum habere eam decebat, Vulcanum.

68. Verisimillimam propositionem Naeki *brachia .. Cypria*, cui iam Putsche *Cypria .. brachia* coniciens praeivit, in textum recepi, praesertim cum cognomine *Cypria* electo Veneris cum Adonide Cyprius amor bene et breviter significari mihi videatur, quamvis editores dubitent, utrum de Adonide an de Anchise an de aliquo agatur. Ipse aliquando conieceram *Et mecum Venus a! gavisa est . . . Grandia* (sic libri) *formoso supponens gaudia* (sic libri) *collo*.

74. *numquid minus aurea promo?*, ut libri testantur, intellego: cur etiam alia aetatis non aureae exempla profero?

79. Hoc loco consilium meum torpere fateor; multa viri docti et ipse temptavimus, nil mihi satis facit. Optimus autem codex, Bembinus, tradit *Tanta meae vitae cordis fecere rapinam*. Itaque Birt, quem secutus sum, legit *Fata* (sic iam Putsche) *meae vitae quor sic fecere rapinam, ut .. possis?* Certe etsi de membris in dies tabescentibus (cf. v. 22 sq.) sermo fit, tamen latinum esse nego illud Maehlianum *carnis* pro *cordis*, quod Baehrens se quoque invenisse Maehlio omisso adnotat. Ribbeck denique mira ratione proposuit *Tantam saecla meae cordis fecere rapinam,* ubi dubitatur, utrum *cordis* vocem feminini generis esse iubeatur an ad *meae* adiectivum *puellae* substantivum suppleri, tamquam si saecla puellae alia fuerint atque amici.

Iam vero cum de re critica et exegetica nihil addendum habeam, poemata ipsa meo arbitrio disposita et recensita et in linguam vernaculam translata et oculis et animo splendidi lectoris proponere liceat.

Dirae.

Battare, cycneas repetamus carmine voces,
Divisas iterum sedes et rura canamus,
Rura, quibus diras indiximus, impia vota.
Ante lupos rapient haedi, vituli ante leones,
Delphini fugient pisces, aquilae ante columbas,
Et conversa retro rerum discordia gliscet,
  Multa prius fient, quam non mea libera avena.

Montibus et silvis dicam tua facta, Lycurge,
Impia: Trinacriae sterilescant gaudia; vobis
Nec fecunda, senis nostri felicia rura,
Semina parturiant segetes, non pascua colles,
Non arbusta novas fruges, non pampinus uvas,
Ipsae non silvae frondes, non flumina montes.
  Rursus, et hoc iterum repetamus, Battare, carmen.

Effetas, Cereris sulci, condatis avenas,
Pallida flavescant aestu sitientia prata,
Immatura cadant ramis pendentia mala,
Desint et silvis frondes et fontibus umor,
  Nec desit nostris devotum carmen avenis.

Hinc Veneris vario florentia serta decore,
Purpureo campos quae pingit verna colore,
Hinc aurae dulces, hinc suavis spiritus agri
Mutent pestiferos aestus et taetra venena:
Dulcia non oculis, non auribus ulla ferantur.
  Sic precor, et nostris superent haec carmina votis.

---

21 verna *Heinsius*, avena *codd.*

Die Flüche.

Battarus, lass uns im lied die schwanenweisen erneuen,
Wiedrum singen den hof und das land, das fremden zerteilt ward,
Mein landgut, das mit fluch wir besprachen, mit heillosen wünschen.
Ehe zerreisst das zicklein den wolf, die gazelle den löwen,
Ehe vor fischlein fleucht der delphin und der aar vor der taube,
Eh' wird des daseins kampf sich im weltall gänzlich verkehren,
Vieles wird eher geschehn, als feig die schalmei mir verstummen.

Berghöhn fluch' ich und wäldern, wie du einst, frevler Lycurgus,
Wütetest: Unfruchtbar verdorre Trinacriens segen!
Bring' euch, fluren, die einst mir den alternden vater beglücktet,
Zeugender same nicht halmfrucht mehr, noch weide der hügel,
Obstes fülle nicht fürder der baum noch trauben der weinstock,
Blätter sogar nicht fürder der wald noch bäche die berge.
Auf! und diese verfluchung, mein Battarus, nochmals erneuert.

Siechtum über den halm, den ihr einbringt, furchen Demeters,
Fahlgelb soll'n sich in glut die dürstenden wiesen verfärben,
Unreif herbe den ästen die hangenden äpfel entfallen,
Selber dem walde verkümmern das laub und den quellen das wasser,
So auch meiner schalmei nicht fehlen das rächende fluchlied.

Hier der farbige schmuck in den blühenden kränzen der Venus,
Welche mit purpurnem glanz zur lenzzeit malet die matten,
Zärtlicher windhauch hier und der liebliche duft im gefilde
Wandle sich um in verpesteten dunst und scheussliche gifte:
Keinerlei süsse begegne dem ohr und keine dem auge.
Also fleh' ich, und dass dies lied dem flehen genüge.

Lusimus. Ah, multum nostris cantata libellis,
Optima silvarum, formosis densa viretis
Fundes non virides umbras nec laeta comantis
Iactabis mollis ramos inflantibus auris, 29
Militis impia quom succidet dextera ferro 31
Formosaeque cadent umbrae, formosior illis
Ipsa cades, veteris domini felicia ligna.
Nequiquam! Nostris potius devota libellis
Ignibus aethereis flagrabit. Iuppiter ipse, 35
Iuppiter hanc aluit: cinis haec Iove fiat oportet.
  Haec mihi saepe meum resonabit, Battare, carmen. 30

Thraecis tum Boreae spirent immania vires, 37
Eurus agat mixtam fulva caligine nubem,
Africus immineat nimbis minitantibus imbrem,
Cum tua cyaneo resplendens aethere silva 40
Non iterum discet, crebro quae, Lydia, dixti.
Vicinae flammae rapiant ex ordine vites,
Pascantur segetes diffusis ignibus aurae,
Transvolet arboribus coniungat et ardor aristas.
Pertica qua nostros metata est impia agellos, 45
Qua nostri fines olim: cinis omnia fiat.
  Sic precor, et nostris superent haec carmina votis.

Undae, quae vestris pulsatis litora lymphis,
Litora, quae dulcis auras diffunditis agris,
Accipite has voces: migret Neptunus in arva 50
Fluctibus et spissa campos perfundat harena.
Qua Volcanus agros pastus Iovis ignibus arcet,
Barbara dicatur Libycae soror altera Syrtis.
  Tristius hoc, memini, revocasses, Battare, carmen.

Nigro multa mari dicunt portenta natare, 55
Monstra repentinis terrentia saepe figuris,
Cum subito emersere furenti corpora ponto.
Haec agat infesto Neptunus caeca tridenti

26 Lusimus *Handius*, Ludimus *codd.*; ah *scripsi*, et *codd.* 28 Fundes non *scripsi*, Tundemus, Tondemus *codd.* 36 Iove *Maehly*, tibi *codd.*; 30 *post*

Lustiger sang ist verstummt. Den oft ich in liedern gefeiert,
Ach, hochherrlicher wald, von schönen gesträuchen erfüllter,
Wirst nicht mehr dein schattendes grün ausbreiten, nicht deiner
Üppigen zweige gelock froh schütteln im säuselnden winde,
Wenn in des kriegsmanns freveler faust nun wütet die stahlaxt
Und dein liebliches laub hinsinkt und lieblicher selbst du
Sinkst mit der stämme pracht, dem stolz des frühren besitzers.
Aber vergebens ihr thun! -- Eh'r sei er verflucht von mir selber,
Lodernd verbrenn' er getroffen vom blitzstrahl. Juppiter selbst ja,
Juppiter hat ihn genährt: durch Juppiter fall' er in asche.
Länger noch, Battarus, soll von dem mein lied mir ertönen.

Dann stürm' heulend darein des thracischen Boreas brausen,
Jage dann Eurus die wolke, die schwarzblau finster geballt ist,
Africus dräue mit hoch sich türmendem regengewölk' dann,
Wenn dein wald nun, in brand aufleuchtend am stählernen himmel,
Nicht mehr, Lydia, dir lauscht, wie er einst oft reden dich hörte.
Weiter der reihe nach fasse die flamme sich nähernd den weinberg,
Fresse begierig der wind voll sprühender funken die saaten,
Fliege herüber die glut und geselle den bäumen die ähren.
All' mein feld, das der messstab mass des ruchlosen fremden,
Alles was mein einst war: es zerfall' in asche nun alles!
Also fleh' ich, und dass dies lied dem flehen genüge.

Well'n ihr, die ihr die küste mit euren wassern umbrandet,
Küste du selbst, die du lindhauch giess't weich über das saatland,
Merkt, was ich sag' anjetzt: es steige Neptun auf die wiesen
Flutend und über das feld hinström' er mit lastendem sande.
Da, wo Vulcanus die flur nicht den bränden Juppiters preisgab,
Berberin heisse das land, die schwester der libyschen Syrte.
Battarus, inn'ger, ich weiss, erneutest du gerne die weise.

Tief in des meeres nacht schwimmt grässlich getiere, so sagt man,
Scheusale seltener form, die oft jäh schrecken den schiffer,
Wenn aus der wütenden see sie plötzlich die leiber erheben.
Diese entscheuche dem dunkel Neptun mit drohendem dreizack,

36 *posuit Baehrens.* 41 discet *scripsi,* dicens, ducens *codd.*; quae *M. Schmidt*, tua *codd.* 44 ardor *doctus Italus*, arbor *codd.*

Atrum convertens aestum maris undique ventis
Et fuscum cinerem canis exhauriat undis:
Dicantur mea rura ferum mare: nauta caveto
  Rura, quibus diras indiximus, impia vota.

Si minus haec, Neptune, tuis infundimus arvis,
Battare, fluminibus tu nostros trade dolores:
Nam tibi sunt fontes, tibi semper flumina amica.
Flectite currentis lymphas, vaga flumina, retro, 67
Flectite et adversis rursum diffundite campis;
Incurrant amnes passim rimantibus undis
Nec nostros servire sinant erronibus agros.
  Dulcius hoc, memini, revocasses, Battare, carmen.

Emanent subito sicca tellure paludes
Et pigris undis latroni prata vorentur 72a
Et metat hic iuncos, spicas ubi legimus olim,
Calcet et arguti grylli cava garrula rana.
  Tristius hoc rursum dicit mea fistula carmen.

Praecipitent altis fumantes montibus imbres
Et late teneant diffuso gurgite campos,
Qui dominis infesta minantes stagna relinquant.
Unde elapsa meos agros pervenerit unda,
Piscetur nostris in finibus advena arator,
Advena civili qui semper crimine crevit.
  Nil est quod perdam ulterius: merito omnia Ditis. 66

O male devoti praetorum crimine agelli, 82
Tuque inimica tui semper discordia civis!
Exsul ego indamnatus egens mea rura reliqui,
Miles ut accipiat funesti praemia belli.
Hinc ego de tumulo mea rura novissima visam;
Hinc ibo in silvas: obstabunt iam mihi colles,
Obstabunt montes, campos audire licebit:
‚Dulcia rura valete et Lydia, dulcior illis,
Et casti fontes et, felix nomen, agelli!'

72a *supplevi.* 74 calcet et *Hermann*, cocule t *simil. codd.* 66 merito

Tief aufwühlend durch sturm des meerschwalls finstere brandung,
Und weissschäumende welle verschlinge die schwärzliche asche.
Wogende see, so heisse mein feld; es meide der schiffer
Mein landgut, das mit fluch wir besprachen, mit heillosen wünschen.

Säumst du, Neptun, auf meine gefilde die deinen zu schütten,
Dann den flüssen vertrau', o Battarus, unsere schmerzen:
Immer ja war'n dir befreundet die quell'n und befreundet die flüsse.
Wendet, ihr flüsse, denn eilend zurück die schnellen gewässer,
Wendet zurück und ergiesst auf das feld euch, welches euch hindert;
Dränget in strömen heran; es zerreisse den boden die woge;
Und lass't nimmer geschehn, dass mein landgut frohne dem räuber.
Battarus, süsser, ich weiss, erneutest du gerne die weise.

Sumpf soll plötzlich herfür mir quell'n aus dem trockenen erdreich,
Und solch träges gewässer dem räuber die wiesen verschlingen,
Binsen nur mäh' er noch da, wo einstmals ähren wir lasen,
Und wo die grille gesungen, da wate der plärrende frosch nun.
Inniger tönt mein rohr von neuem die nämliche weise.

Stürze sich dampfend zu thal ein regenerguss von den bergen
Und überziehe mit breit sich ergiessenden strudeln die felder,
Welche den nachbarherrn nichts lassen als widrige sümpfe.
Ist dann die welle von dort auf meine äcker geraten,
Fange sich fische auf unserm gut der räubernde landwirt,
Ja, der räuber, der stets aus dem frevel der bürger gewinn zog.
Nichts mehr kann ich verderben: geweiht ist alles dem tod nun.

O mein gütchen, so schnöd dem frevel verfall'n der prätoren,
Und o feindin des bürgers, du zwietracht, welche nicht endet!
Rechtlos, besitzlos und heimatlos, so verlass' ich mein landgut,
Dass der soldat es als lohn todbringenden krieges empfange.
Schau' von der höhe zum letztenmal hier meine gefilde,
Ziehe von hier in den wald: schon rauben mir hügel den anblick,
Rauben die berge mir ihn; doch mich hören noch können die felder:
‚Fluren, ihr süssen, ade! und Lydia, süsser als jene!
Heilige quellen zumal und äcker, du seliges kleinod!'

Putsche, merita, meritam *codd.*; 66 post 81 *posuit Ribbeck.*

Tardius ah! miserae descendite monte capellae
(Mollia non iterum carpetis pabula nota)
Tuque resiste pater: sit prima novissima nobis!
Intueor campos: longum manet esse sine illis?
Rura valete iterum, tuque optima Lydia salve;
Sive eris et si non, mecum morieris utrumque.
  Extremum carmen revocemus, Battare, avena.

Dulcia amara prius fient et mollia dura,
Candida nigra oculi cernent et dextera laeva,
Migrabunt casus aliena in corpora rerum,
Quam tua, funde, meis emigret cura medullis.
Quamvis ignis eris, quamvis aqua, semper amabo:
  Gaudia semper enim tua me meminisse licebit.

Lydia.

Invideo vobis, agri formosaque prata,
Hoc formosa magis, mea quod formosa puella
Est vobis: tacite nostrum suspirat amorem.
Vos nunc illa videt, vobis mea Lydia ludit,
Vos nunc adloquitur, vos nunc adridet ocellis,
Et mea submissa meditatur carmina voce
Cantat et interea, mihi quae cantabat in aurem.

  Invideo vobis, agri: discetis amare.
O fortunati nimium multumque beati,
In quibus illa pedis nivei vestigia ponet
Aut roseis digitis viridem decerpserit uvam
(Dulci namque tumet nondum vitecula Baccho)
Aut inter varios Venerem spirantia flores
Membra reclinarit teneramque inliserit herbam

---

93 sit *Birt*, et *codd.* 101 funde, meis *scripsi*, de tuis *Helmst.*, de nostris

Steigt doch langsamer, ach! ihr armen ziegen, vom berge
(Nicht mehr grast ihr das futter, das saftige, wie ihr's gewöhnt seid),
Steh' hier bock, und die geiss, die die erste, sei jetzo die letzte.
Thalwärts schweift mein blick: auf lang'wohl ist es, das meiden?
Fluren, noch einmal ade! ade auch, Lydia, teure!
Und ob du lebst, ob verdirbst, mit mir nur stirbt dein gedächtnis.
Lass zur schalmei uns den schluss jetzt, Battarus, singend erneuen.

Eher wird bitteres süss, was weich, wird eher sich härten,
Schwarz eh'r däucht dem auge, was weiss, und was rechts ist, zur
Und umwandelt sich jeglich gebild in fremde gestalten, [linken,
Als dass das sehnen nach dir, mein gut, sich im herzen mir wandle.
Und ob das feu'r, ob das wasser dich hat, ich liebe dich immer:
Denn zu gedenken des glücks, das du gabst, wird nie mir ver-
[wehrt sein.

Lydia.

Ach, euch muss ich beneiden, ihr felder und prangenden matten,
Prangender noch dadurch, weil nun mein prangendes mädchen
Weilt mit euch: verschwiegen erseufzt sie nach unserer liebe.
Euch jetzt schaut nur das schätzchen, mit euch spielt Lydia,
[die meine,
Euch jetzt plaudert sie vor, euch lächelt entgegen ihr auge,
Während derweil mit verhaltener stimme sie meinen gesängen
Nachsinnt, euch vorsingt, was in's ohr einst mir sie gesungen.

Ach, euch muss ich beneiden, ihr felder: ihr lernt nun das lieben.
O ihr allzubeglückten, ihr selig zu preisenden fluren,
Wo sie die spuren nun wird eindrücken des blendenden fusses
Und die noch grünliche traube mit rosigen fingern sich abpflückt
(Denn noch quillt nicht die rebe von süsse des reifenden Bachus),
Wo sie auf farbiger au die wollust atmenden glieder
Wird hinlagern in blumen und zarte gräser zerknicken

ceteri. Lydia *titulum Iacobs.* 13 spirantia *Eichstaedt,* stipendia *simil. codd.*

Et secreta meos furtim narrabit amores!
Gaudebunt silvae, gaudebunt mollia prata
Et gelidi fontes, aviumque silentia fient;
Tardabunt rivi labentes currere lymphae,
Dum mea iocundas exponat cura querellas.

Invideo vobis agri: mea gaudia habetis,
Et vobis nunc est, mea quae fuit ante voluptas.
At male tabescunt morientia membra dolore
Et calor infuso decedit frigore mortis,
Quod mea non mecum domina est. Non ulla puella
Doctior in terris fuit aut formosior; ac si
Fabula non vana est, tauro Iove digna vel auro
(Iuppiter avertas aurem!) mea sola puella est.

Felix taure, pater magni gregis et decus! a te
Vaccula non umquam secreta cubilia captans
Frustra te patitur silvis mugire dolorem.
Et pater haedorum felix semperque beate!
Sive petis montes praeruptos, saxa pererrans,
Sive tibi silvis nova pabula fastidire
Sive libet campis: tecum tua laeta capella est.
Et mas quicumque est, illi sua femina iuncta
Interpellatos numquam ploravit amores.
Quor non et nobis facilis natura fuisset?
Quor ego crudelem patior tam saepe dolorem?

Sidera per viridem redeunt cum pallida mundum
Inque vicem Phoebi currens abit aureus orbis,
Luna, tuus tecum est: cur non est et mea mecum?
Luna, dolor nosti quid sit: miserere dolentis!
Phoebe, querens in te laurus celebravit amorem
Et quae pompa deum (nisi silvis fama locuta est:
Omnia dis estis!) secum sua gaudia gestat
Aut insparsa videt mundo, quae dicere longum est.
Aurea quin etiam quom saecula volvebantur,
Condicio similis fuerat mortalibus illis;

---

40 Phoebi *Heinsius*, Phoebe, Phoebus *codd.*; abit *scripsi*, *atq. codd.* 41 tuus *Scriverius*, tui *codd.* 43 querens *scripsi*, gerens *codd.* 45 dis

Und einsam und verstohlen euch redet von unserer liebe.
Wonne dann wird erfüllen den wald und den schwellenden anger,
Rings die kühlenden quell'n, und die vöglein werden verstummen;
Zögern wird im laufe des bächleins gleitende welle,
Wenn mein lieb, die ersehnte, beginnt mit der seligen klage.

Ach, euch muss ich beneiden, ihr felder; ihr habt, was mich froh
Und sie ist euer anjetzt, die sonst mir wonne gewesen. [macht,
Elend indessen verzehrt sich mein leib hinsterbend im leide
Und hinschwindet die wärme des bluts wie in kälte des todes,
Weil sie, die herrin, nicht bei mir ist. Kein weib auf der erden
Kam je gleich ihr an bildung und schönheit: und ist die legende
Trug nicht und wahn, ob Juppiter nun als stier ob als gold kam,
(Juppiter wende das ohr!) mein mädchen ist würdig nur seiner!

Glücklicher stier, du vater und zierde der stattlichen herde!
Ohne dich sucht die kuh niemals ein einsames lager,
Niemals lässt sie in leide vergebens dich brüllen im walde.
Vater der böcklein, selig auch du und immer zu preisen!
Magst du nun weglose berge hinaufziehn, felsen durchirrend,
Magst du lecker dir frischeres futter im wald aufsuchen
Oder etwan auf dem feld: dein munteres zicklein ist bei dir.
Und welch' männchen es giebt, dem ist sein weibchen gepaaret
Und hat nimmer geklagt von hingehaltener liebe.
Warum wäre natur nicht uns auch gnädig gewesen?
Uud was dulde nur ich so oft die bitteren schmerzen?

Wenn am dämmernden himmel heraufziehn bleiche gestirne,
Weil die goldene scheibe Apollons eilend verschwindet,
Luna, dann weilt wohl bei dir dein lieb: und bei mir nicht das meine?
Luna, die sehnsucht kennst du: du wirst mein sehnen verstehen
Phöbus, in leid hat dein lorber die liebe gefeiert; sie feiert
Jeglicher gott, der beglückt (wenn dem wald nicht das märchen erzählt hat:
Du bist der himmlischen lust!) trägt mit sich die zeichen der wonne
Oder verstreut am himmel erblickt, die zu zählen zu weit führt.
Ja, und die sterblichen gar, als des goldenen welt-zeitalters
Jahre noch waren, da führten sie selbst noch ein ähnliches leben;

---

scripsi, vos *codd.* 48 fuerat *edd.* ant., —que foret *codd.* 55 mea *Wernsdorf*, meae *codd.*

Haec quoque praetereo: notum Minoidos astrum
Quaeque virum virgo sicut captiva secuta est.
Laedere, caelicolae, potuit vos nostra quid aetas,
Condicio nobis vitae quo durior esset?

Ausus ego primus castos violare pudores
Sacratamque meae vittam temptare puellae
Immatura mea cogor nece solvere fata?
Istius atque utinam facti mea culpa magistra
Prima foret: letum vita mihi dulcius esset.
Non mea, non ullo moreretur tempore fama,
Dulcia cum Veneris furatus gaudia primus
Dicerer atque ex me dulcis foret orta voluptas.
Nam mihi non tantum tribuerunt impia fata,
Auctor ut occulti noster foret error amoris.

Iuppiter ante sui semper mendacia vultus
Cum Iunone, prius coniunx quam dictus uterque est,
Gaudia libavit dulcem furatus amorem.
Et mecum tenera gavisa est laedere in herba
Purpureos flores, quos insuper accumbebat,
Brachia formoso supponens Cypria collo?
Tum credo fuerat Mavors distentus in armis;
Nam certe Volcanus opus faciebat, et illi
Tristi turpabat malas fuligine barba.
Non Aurora novos etiam ploravit amores
Atque rubens oculos roseo celavit amictu?
Talia caelicolae: numquid minus aurea promo?
Ergo quod deus atque heros, cur non minor aetas?

Infelix ego, non illo qui tempore natus,
Quo facilis natura fuit. Sors o mea laeva
Nascendi miserumque genus, quoi sera libido est!
Fata meae vitae quor sic fecere rapinam,
Ut maneam, quod vix oculis cognoscere possis?

---

61 fata *Heinsius*, vota *codd.* 63 vultus *Baehrens* factus, furti *codd.* 66 laedere *Canterus*, ludere *codd.* 68 Brachia *Naeke*, Grandia *codd.*; Cypria *Naeke*,

Ich übergeh' es: bekannt ist von Minos' tochter das sternbild
Oder die maid, die dem mann gleich einer gefangnen gefolgt ist.
Womit, ihr himmlischen, konnte das heut'ge geschlecht euch ver-
Dass ein härteres los uns des lebens zum lohne geworden? [letzen,

Wagt' ich zuerst denn gewalt an scham und keuschheit zu üben
Und an der maid, die ich liebe, geheiligte binde zu rühren,
Dass schon jetzt ich müsste verfall'n vorzeitigem tode?
Ja! und wäre doch meine verschuldung die erste, die alle
Andren gelehrt: der tod sollt' süsser mir sein als das leben.
Immer dann stünd' ich in ruhm, der niemals könnte vergehen,
Weil man erzählte von mir, dass zuerst ich genascht von der Venus
Freuden und dass von mir herstamme die süsse der wollust.
Freilich mir hat so grosses das arge geschick nicht beschieden,
Dass, was ich sündigte, wäre das vorbild heimlicher liebschaft.

Juppiter hat, vordem er erlogne gestaltungen annahm,
Schon mit der Juno, da beide noch nicht sich gatten benannten,
Frei sich die liebe geraubt und selige wonne gekostet.
Und hat mit mir einst Cypris vergnügt im schwellenden grase
Purpurfarbene blumen zerknickt, ihr eigenes lager, [nacken?
Hold mit den armen umschlingend des freunds liebreizenden
Mars war derzeit, glaub' ich, beschäftigt im waffengetümmel,
Sicherlich aber Vulcan in der werkstatt thätig; und freudlos
Deckte der bart ihm die wange mit hässlich entstellendem russe.
Weinte nicht auch Aurora ob seltsamen liebesgeschickes
Und hat die augen errötend verhüllt mit dem rosigen schleier?
Also die götter! Was frommt's, nicht-goldener zeit zu erwähnen?
Kurz, was heroen und göttern, das soll nicht ziemen der jetztzeit?

Wohl! ich bin ein unseliger mann, dass ich lebte nicht damals,
Als die natur noch alles gewährt! Unglückliche stunde
Meiner geburt! klagwürdig geschlecht, das zur wonne zu spät kam!
Warum ward leib mir und seele ein raub des zürnenden schicksals,
Dass, was noch übrig von mir, man kaum mit den augen erschaun
kann?

---

gaudia *codd.* 71 malas f. barba *Scaliger*, mala f. barbam *codd.* 78 quoi *Naeke*, quo *codd.* 79 Fata *Putsche*, Tanta, Tantam *codd.*; quor sic *Birt*, cordis *codd.*

De carminum auctore.

Vergilium, quem codices testantur, auctorem esse centum et octoginta trium versuum Dirae inscriptorum initio inde a prima Vergili editione anno 1469 facta nemo negabat; deinde ab anno 1573 nemo Scaligero diffidebat, qui carmina Valerio Catoni, grammatico illi et poetae, vindicavit; tum ab anno 1837 nemo Merkelio, qui carmina neutri attribuit. Sed inde ex sententia Merkeliana inquisitio de auctore instituta flexibus etiam magis variis tardisque erravit. Illi enim — ne Lerschi Vergilium imperantis reminiscar — M. Haupt adstipulatus est, nisi quod Merkel Cornificium poetam suspicatus lectores pro ludibrio habuisse ei videbatur.

Naeke tamen, cuius a. 1838 mortui editio amplissima et doctissima a. 1847 cura Schopeni in lucem prodiit, cum aut Merkelium nondum cognosset aut a Merkelio non tam Scaligerum quam Putschium, qui illius sententiam parum feliciter in editione sua professus erat, repulsum esse putaret, pristinam viam Scaligeri retinuit. Tamen recentiores, quos de ea re scripsisse video, Lachmann, C. F. Hermann, Keil, Ribbeck [1]), Baehr, Bernhardy, Schwabe, Maehly, Teuffel omnes novis argumentis non adhibitis [2]) carmina anno 41 a. C. scripta esse neque a Vergilio neque a Valerio cum Merkelio seu potius cum Hauptio credere pergebant; nisi quod unus von Leutsch, ut nuper hac disputatione iam perfecta legi, in sententiam ivit Scaligeri.

Iam vero carnifex ille Dirarum Goebbel anno 1865 viris doctis haec nuntiavit: Exercitia esse opinor hominis cuiusdam poeticae studiosi, quae ad Lucani tempora proxime accedunt. Nimirum, ut a Goebbelio tractata vel vexata sunt, carmina ego quoque opinor exercitia esse, tamen minus poetae quam philologi male docti.

Deinde Baehrensio facile, ut ipse ait, nascitur suspicio auctorem sive praedio suo a 41 a. C. n. privatum sive ita

---

[1]) Nuper in libro Geschichte der röm. Dichtung ad Scaligerum reverti cupit.

[2]) Lachmann solus ex particulae *namque* positione argumentum petiit, cf. p. 57.

fingentem celeberrima illa Catonis, communis cantorum Euphorionis praeceptoris, opuscula suis versibus esse aemulatum.

Novissimo denique tempore Rothstein quamvis singularum rerum observatio, ut illius ipsa verba referam, non multum habere utilitatis ei videretur, illam sententiam a Lachmanno obiter prolatam carmina non unius esse satis multis verbis usus renovavit. Tamen, ut in Rothsteinium signa conferamus, prudentissimum quemque valde decet dubitare, num re vera Dirarum ardor, quem ille nativum appellat, verior sit quam Lydiae dolor, cui ille ne umbram quidem veritatis vindicat. Quatenus enim Romani illius quidem aetatis exempla Alexandrinorum imitati suam mentem suumque animum libellis mandaverint, a nobis diiudicari posse nego. Deinde quod Diras rebus mythologicis paene carere, Lydiam abundare ille docet, non omnes cantus omnia praestare solent, qua de re p. 70 sq. nostri libelli conferatur, estque addendum etiam Diras Lycurgum, Cererem, Venerem, Iovem, Neptunum, Volcanum, Ditem (Boream, Eurum, Africum) praestare. Tum ut artissima coniunctio carminum, quae est in manuscriptis quamque iam in antiquitate ipsa factam esse ex Donati vita Vergili Birt in libro Das antike Buchwesen p. 298 bene ostendit, ita idem nomen Lydiae simileque argumentum non sunt neglegenda. Praeterea usus versuum intercalarium non nimis usitatus non modo in Diris, sed etiam quodam modo in Lydia invenitur. Ad extremum unus auctor confirmatur his locis comparatis, qui aut sententia aut memorabili ordine verborum aut artificio metrico mire consentiunt.

Dir. 8 *Montibus et silvis*
Lyd. 32 sq. *montes . . silvis*
Dir. 16 sqq. *prata . . silvis . . fontibus*
Lyd. 16 sq. *silvae . . prata . . fontes*
Dir. 18 *Desint et* pro *Et desint*
Lyd. 8 *Cantat et* pro *Et cantat.*
Dir. 20 *Veneris vario florentia serta decore*
Lyd. 13 *inter varios Venerem spirantia flores*
Dir. 21 *purpureo . . campos . . colore*
Lyd. 66 sq. *in herba Purpureos flores*
Dir. 32 *Formosaeque cadent umbrae, formosior illis* (cf. 89)

Lyd. 2 *Hoc formosa magis, mea quod formosa puella*
Dir. 36 *Iuppiter . . Iove*
Lyd. 26 sq. *Iove . . Iuppiter*
Dir. 40 sq. *silva . . discet, crebro quae, Lydia, dixti* (cf. Lyd. 8)
Lyd. 16 sqq. *Gaudebunt silvae . ., Dum mea iocundas exponat cura querellas*
Dir. 56 *repentinis terrentia saepe figuris* et
Dir. 83 *tui semper discordia civis*
Lyd. 63 *sui semper mendacia vultus*

ubi et *saepe* et *semper* adverbia substantivo adiuncta graeco more attributum fere aequiperant.

Dir. 73 *Et metat hic iuncos, spicas ubi legimus olim*
Lyd. 21 *Et vobis nunc est, mea quae fuit ante voluptas*
Dir. 82 *O* | *male* | *devoti* |
Lyd. 22 *At* | *male* | *tabescunt* |
Dir. 83 *Tuque inimica tui* | *semper*
Lyd. 63 *Iuppiter ante sui* | *semper*
Dir. 92 *Mollia . . carpetis pabula*
Lyd. 33 *nova pabula fastidire*
Dir. 83 *Tuque resiste pater* | scil. gregis
Lyd. 28 *Felix taure pater* | *gregis*
Dir. 96 *morieris* = *fama tua morietur*
Lyd. 58 *mea . . moreretur fama.*

Praeterea non pauca dictionis vel rei metricae indicia ad utrumque carmen spectantia infra suis locis enumerabo.

Itaque, ut ad rem nobis propositam accedamus, summam totius certaminis esse aio genus dicendi et res metrica quamnam aetatem concedant seu potius postulent explorare. Nam per se ipsum cadit, quod Merkel affert, argumentum: ea agrorum divisio, de qua versus illi loquuntur, facta videtur non a Sulla, sed a triumviris sive potius Antonio et Octaviano vid. interpp. ad Verg. ecl. 1. Nam versus 82 *o male devoti praetorum crimine agelli* quam male ad Sullam et Marium referatur, intellegis. Quid enim Marius incusaretur propter rem a Sulla impetratam? praesertim si is, qui illa scripsit, Marianus fuit, ut qui v. 94 Sullanos hostes vocet. Certe verisimilius est anno 713 ista scripta esse, non Sullano tempore. — Ut enim in v. 94 non *hostis,* sed *esse* omnibus

fere libris testibus legitur, ita Naekio docente (p. 117—119) praetores non duces belli civilis, sed magistratus iuridici putandi sunt, per quos agri veteranis assignabantur. Deinde non sufficit mihi, quod asseverat Merkel hos 183 versus laeviores et limatiores esse et Ciceronianis et Lucretianis et Catullianis, sed subtilius ut in dictionem et rem metricam inquiratur, posco. Quod facturus Naeke quamquam eo usque consilio, ut Catoni suo suam antiquam simplicitatem redderet, multa peccavit, tamen sermone accuratissime observato de poematum interpretatione bene meritus est.

Quaerentibus autem, cuiusmodi sit antiqua illa simplicitas, Naeke satis, ne dicam nimis docte demonstrat signa aetatis Vergilio antecedentis esse primo repetitionem verborum paulo ante usurpatorum, deinde geminationem epitheton, post collocationem verborum parum artificiosam, tum parenthesin et apostrophen crebrius adhibitas, denique similitudinem quandam horum versuum quae observetur cum Lucretianis. De apostrophe et parenthesi cum observationes a Naekio p. 309 sqq. factae aut sua sponte aut e lectionibus nunc melioribus iamdudum neglectae iaceant, verba cumulare taedet. Verum tamenetsi in universum id opponi potest scriptores eiusdem aetatis non omnes una eademque mensura metiendos esse, quaecumque alia Naeke de sermone huius exposuit, summatim hodieque stant.

Quam ob rem id primum videamus, si placet, quidnam Naeke de repetitione verborum (p. 277 sqq.) docuerit, qua de re haec exscripsisse satis habeo: Illud volebam, suas ipsius loquutiones Catonem haud raro repetere in eodem carmine diversis locis, vel ex uno carmine assumere in alterum, sive quod oblitus esset se hoc iam dixisse ita alibi, sive quum meminisset, nullam esse in repetitione offensionem crediderit. Non ita Virgilius, Ovidius, alii: qui quum sua iterant, maiora faciunt intervalla, et iterant consulto. — Huius neglegentiae exempla sint Dir. 10 *felicia rura*, 33 *felicia ligna*, 90 *felix nomen;* 27 *formosis*, 32 *formosae*, Lyd. 2 *formosa*, 25 *formosior*, 68 *formoso;* Dir. 65 *flumina*, 67 *flumina;* 81 *crimine*, 82 *crimine;* Lyd. 22 *morientia*, 23 *mortis;* 57 *dulcius*, 59 *dulcia*, 60 *dulcis*, 65 *dul-*

cem; 14 *teneram herbam,* 66 *tenera herba;* 36 *ploravit amores,* 72 *ploravit amores;* 37 *facilis natura fuisset,* 77 *facilis natura fuit;* 48 *condicio similis fuerat mortalibus illis,* 52 *condicio nobis vitae;* 59 *dulcia cum Veneris furatus gaudia primus;* 65 *gaudia libavit dulcem furatus amorem;* Dir. 3 *impia,* 9 *impia,* 31 *impia,* 45 *impia,* 62 *impia;* 43 *diffusis,* 49 *diffunditis,* 51 *perfundat,* 63 *infundimus,* 68 *diffundite,* 77 *diffuso.*

Deinceps, ut erat propositum, dicatur de epitheton geminatione, cuius exempla Naeke affert Dir. 28 sq. *nec laeta comantis Iactabis mollis ramos* et 92 *Mollia non iterum carpetis pabula nota,* quibus fortasse addendum est Lyd. 40, ubi quacumque ratione restituitur, *aureus* et *curreus* ad idem substantivum referri debere verisimile est. De ipso dicendi usu Naeke p. 283 animadvertit: Antiquiores, ut Lucretius, sine dubitatione geminant, more Graecorum: quibus addo Catonem. Virgilius et caeteri quum abstinere ab geminandis epithetis solerent, tamen et ipsi geminaverunt certis quibusdam conditionibus. — Illae leges multaque alia ibidem optime ostenduntur. Neque vero omitto paucos locos, qui per se magis excusabiles apud Vergilium et posteriores inveniuntur, per poemata maxima distribui, duos vel tres exstare in his centum et octoginta tribus versibus.

Tum ea proprietas sermonis, quamvis ei non multum tribuerim, fortasse tamen apte notatur, cui hic poeta, si simul cum Vergilio aut etiam post scripsisset, locum dare non ausus esset. Nam qui scholis Vergili usi sunt poetae a sermone pedestri magis magisque ita discesserunt, ut apud eos inveniri vix possit talis dictionis tenuitas, qualis inest in Lyd. 46 *quae dicere longum est* et 49 *Haec quoque praetereo.* Crederes Lucilium loqui ut sat. I 38 *ut diximus ante* vel XXX 122 *hoc missum facies.*

Haec signa antiquioris aetatis quamquam libenter agnoscimus fatemurque poetam sic, ut Naeke p. 284—309 diligenter exposuit, verba paulo simpliciore modo quam Catullum et Augusteos poetas atque nonnunquam cum duritia inscitiaque distribuisse, tamen de ordine verborum apud illum indicando cum Naekio non faciemus. Legamus e g. sexagesimum quartum carmen Catulli, ubi inter primores quinquaginta

versus haec exempla collocationis interdum magis artificiosae quam re vera pulchrae occurrunt:

1 *Peliaco quondam prognatae vertice pinus*
7 *Caerula verrentes abiegnis aequora palmis*
9 *Ipsa levi fecit volitantem flamine currum*
10 *Pinea coniungens inflexae texta carinae*
11 *Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten*
39 *Non humilis curvis purgatur vinea rastris*
42 *Squalida desertis robigo infertur aratris*
46 *Tota domus gaudet regali splendida gaza*
49 *Tincta tegit roseo conchyli purpura fuco*
50 *Haec vestis priscis hominum variata figuris.*

Ecce Catullus et substantivo suum cuique attributum praeponere et hoc ab illo ita seiungere amat, ut, si notis alphabeticis uti licet, haec textura enuntiationis eveniat: α β a b. Neque minore, credo, elegantia discipulus Alexandrinorum ibi gloriatus est, ubi pro uno attributo verbum finitum reperitur e. g.

12 *Quae simul ac rostro ventosum proscidit aequor*
20 *Tum Thetis humanos non despexit hymenaeos*
33 sq. *domum conventu tota frequentat Thessalia*
40 *Non glaebam prono convellit vomere taurus.*

Nostri autem ingens in collocando simplicitas, qua in enucleanda doctus ille parum lente festinavit, in auras evanescit, simulac tales versus adspiciuntur: Dir. 40, 45, 55, 56, 57, 58, 76, 83, 85; Lyd. 6, 11, 13 sq., 19, 39, 54, 62, 68, 71, 73. Scilicet eam artem Catulli hic non adeptus est, ut attributa tam saepe substantivis suis praeponeret. Simile autem artificium, quod litteris a b β α significatur, est in Catulli carm. LXIV vv. 14, 19, 25, 31, in Dir. vv. 15 sqq., 19 sqq., 25, 38, 53, 70, 79; Lyd. 12, 15, 23, 29, 35, 55, 58 sq., 66, 79.

Nimirum quod syllaba ante penthemimeren posita exitui versus non solum sensu, sed etiam sono respondet (ut Dir. 25, 34, 45, 48, 51, 56, 68, 82, 91, 101; Lyd. 19, 39, 54, 66, 68), id magis casui quam industriae debeatur; tamen talis consonarum concordia, qualem in Dir. v. 16 sq. invenio

Pallida flavescant . . sitientia prata,
Immatura cadant . . pendentia mala,

poetae nescio an ita placuerit, ut incantamenta illa priscorum Latinorum e. g. *terra pestem teneto, salus hic maneto,* proprio modo imitaretur, quale artificium ne Vergilium quidem repudiasse constat in ecl. VIII 80 *Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit.* Simili lusu in sonitu aures delectantur Dir. v. 4 sq. *Ante lupos rapient . . Delphini fugient* et v. 20 sq. *serta decore . . verna colore;* neque alliterationis omittamus exempla Dir. 20 sq., 44, 48, 55 sq., 60, 67 sq., 81, 83 et Lyd. 4 *Lydia* seu potius, ut collatis Ter. Enn. 987 *an in astu venit*? et vocibus *bucina* (*βυκάνη*), *fuga* (*φυγή*), *Burrus* (*Πύῤῥος*) aliis enuntiatum esse puto, *Ludia ludit*, 5, 18, 22, 29, 41, 45, 50, 73.

Aliud artificium, quo furor et dolor Dirarum et Lydiae optime exprimuntur, in figura quae vocatur a n a p h o r a saepius adhibita agnosco, ut Dir. v. 2 sq. *rura* — *rura*, 4 sqq. *ante* — *ante* — *ante* — *prius* (cf. v. 14), 10 sqq. *nec* — *non* — *non* — *non* — *non* — *non*, 20 sqq. *hinc* — *hinc* — *hinc*, 24 *non* — *non* (cf. Lyd. 52), 31 sq. *cadent* — *cades*, 35 sq. *Iuppiter* — *Iuppiter* — *Iove*, 45 sq. *qua* — *qua*, 48 sq. *litora* — *litora*, 65 *tibi* — *tibi*, 66 sq. *flectite* — *flectite*, 80 sq. *advena* — *advena*, 86 sq. *hinc* — *hinc*, 87 sq. *obstabunt* — *obstabunt* (cf. Lyd. 16), 102 *quamvis* — *quamvis*, 102 sq. *semper* — *semper*, Lyd. 1 sq. *formosaque* — *formosa*, 4 sq. *vos* — *vobis* — *vos* — *vos*, 16 *gaudebunt* — *gaudebunt*, 26 sq. *Iove* — *Iuppiter*, 31 sqq. *sive* — *sive* — *sive*, 37 sq. *quor* — *quor*, 41 sq. *Luna* — *Luna*, 42 *dolor* — *dolentis*, 41 *tuus tecum est* — *est et mea mecum*, 58 *non mea non*, (76 *infelix . . qui* — 78 *miserumque . . quoi*). Sed satis superque de subtilitatibus illis dixi, quas Lucretio paene ignotas Catullo et Vergilio et Ovidio eorumque discipulis in deliciis fuisse vereor ne nimis notum sit.

Accedunt certiora auxilia illi sententiae, quae est hunc scriptorem ab Augusteorum usu non multum differre, dico l o c u m, q u o p o s u i t ille verba *et, quom, enim, namque. Et* particula secundo loco posita est Dir. 18 *Desint et* et Lyd. 8 *Cantat et*, tertio Dir. 44 *arboribus coniungat et ardor aristas*, cuius rei exempla, ut Naeke docet, non vetustiora inveniuntur quam aetatis Augusteae. *Quom* vel ut codices variant

cum coniunctio ter non in capite sententiae exstat, sed satis suaviter tertio loco Dir. 31, quarto Lyd. 47, quinto ibid. 39. Ne denique coniunctionem *enim* Dir. v. 103 tertio loco positam omittam, quod Lyd. 12 *namque* particulam secundo collocavit, Lachmann ad Lucret. IV 604 adnotavit: neque ante Catullum Vergilium Horatium *nam* coniunctionem quisquam alibi quam in ipso sententiae initio posuerit [1].

Postremo artem nostri poetae proxime ad Augusteos accedere etiam re prosodica comprobatur: nempe elisiones in Dir. 7 *libera avena,* 45 *impia agellos,* 65 *flumina amica*, 80 *advena arator*, 98 *dulcia amara,* Lyd. 20 *gaudia habetis* nonne magnopere offendunt concursu duarum *a* vocalium? Minime, ut id indicium artis perpolitae esse sumamus, admonet Luc. Mueller in operis, quod de re metrica poetarum latinorum scripsit, pag. 291: notandumst plerisque auctorum pyrrhichiaca aut dactylica in a exeuntia praeter nomina propria non iugari cum brevi nisi aut in prima sede versus aut sequente etiam a, quorum in numero fuerunt Catullus in hexametris Cato Tibullus Ovidius Gratius auctor Aetnae Homerus latinus Seneca in Choricis Sulpicia Lucanus Claudianus Merobaudes Corippus in Laudibus Iustini Sidonius Sedulius. —

Tanta verum similitudo si inter hunc et poetas Augusteae et posterioris aetatis intercedit, tria indicia prioris aetatis, quae duce Naekio p. 50 sq. exposuimus, cur non neglegimus neque hunc poetam aetate Augustea versus suos fecisse arbitramur? Quod tamen ne faciamus, optimo aetatis documento admonemur, re metrica. Ac primum caesura *κατὰ τέταρτον τροχαῖον* tam raro quam vix apud quemquam post Vergilium vel Vergilianae aetatis, in hisce poematis invenitur, Dir. v. 44 et 93 et Lyd. v. 17 et 29. Deinde qui rei metricae paulum peritus sedula manu poemata pervolverit, is elisionibus permultis

---

[1]) In Valeri Aeditui poetae epigrammate, quod Gellius XIX 9, 12 refert, codices sic exhibent:

Istam (scil. *faculam) non potis est vis saeva exstinguere venti*
Aut imber caelo candidus praecipitans..

ubi, cum *non* particula sic perversam sententiam efficit, Turnebus et alii *nam* proposuerunt, tamen contra usum, quantum scimus, illius aetatis. Hertz autem rectius legi iussit aut *non — praecipitans?* aut *nonne potest — praecipitans?* interrogatione posita.

offendetur, quae post quintum hexametri trochaeum accidunt,

Dir. 7 *Multa prius fient, quam non mea libera* | *avena*
45 *Pertica qua nostros metata est impia* | *agellos*
65 *Nam tibi sunt fontes, tibi semper flumina* | *amica*
80 *Piscetur nostris in finibus advena* | *arator*
82 *O male devoti praetorum crimine* | *agelli*
97 *Extremum carmen revocemus, Battare,* | *avena*
Lyd. 20 *Invideo vobis agri: mea gaudia* | *habetis*
66 *Et mecum tenera gavisa est laedere* | *in herba.*

Ea de re quaecumque Naeke p. 320 sqq. docuit, cum parum diligenter miscuisset, ipse 180000 fere hexametris pervolutis dissertationem in diurno quod vocatur Rheinisches Museum mox udituram composui, cuius summam nunc referre mihi liceat. Nempe ultimos versus, ut satis constat, poetae quam possunt purissimos facere student. Et sedem elisionum non esse oportere in fine hexametri ne Romanos quidem fugit. Quam ob rem cum antiquiores poetae rudiores etiam in versibus graeca elegantia faciendis eas quas dixi licentias, ut fors tulit, aut admisissent aut quodam tenus evitassent, cum deinde Vergilius nonnullis sane aliqua ex parte praeeuntibus rem formalem acutissime tractare coepisset, omnes, qui post eum hexametros fecerunt, elisiones a quinto et sexto pede cum diligentia superstitiosa ac non raro ridicula abstinuerunt. Ut igitur nostri poetae metrica ars cum aliorum recte comparari possit, tabulam exhibeo, cuius prima columna praestat nomina scriptorum a me pervolutorum; secunda, quot eorum hexametri nobis servati sint; reliquae, quoto in hexametro exemplum unum reperiatur et quidem aut formae I e. g. *alboque* | *orichalco* aut formae II e. g. *ardua* | *ab ictu* aut formae III e. g. *imbelle sine* | *ictu* aut formae IV e. g. *ipsa* | *haec* in sexto pede; quae quo rarior est, eo saepius hac in versus sede invenitur aphaeresis a nobis uncis inclusa e. g. *Troia* | *est* [1]). At quid nos tabula docet? Vergilium in secunda praecipue forma vitanda totum posteriorum poetarum agmen disciplina multo severiore

[1]) Ne temere agamus, etiam quibus rebus metricis duo poemata, de quibus agitur, inter se differant, attente pendamus. In Diris enim hae elisiones inveniuntur post primam thesin v. 79 *unde elapsa*, v. 83 *tuque inimica*, v. 96 *sive eris*, in Lydia nulla; post primum trochaeum in Diris v. 68 *flectite et*, v. 98 *dulcia amara*, in Lydia nulla; post primum dac-

duxisse, et nostrum poetam, si post illum scripsit, solum et unum ex omnibus Vergiliano imperio non paruisse[1]). Quae cum ita sint, poetam nostrum leges Vergilianas nondum novisse sine ulla dubitatione statuo.

tylum in Diris v. 50 *accipite has*, v. 57 *cum subito emersere*, v. 84 *exsul ego indamnatus*, v. 86 *hinc ibo in*, in Lydia nulla; post secundam thesin in Diris v. 95 *valete iterum*, v. 99 *nigra oculi*, sed etiam in Lydia duae v. 56 *atque utinam*, v. 60 *atque ex me;* post secundum trochaeum in neutro ulla; post secundum dactylum in Diris una tantum v. 66 *perdam ulterius*, in Lydia propria elisio nulla, sed tres aphaereseis v. 26 *vana est*, v. 35 *quicumque est*, v. 41 *tecum est;* post tertiam thesin in Diris v. 89 *valete et*, Lyd. v. 75 *atque heros;* post tertium trochaeum in neutro ulla; post tertium dactylum Dir. v. 95 *tuque optima*, Lyd. v. 24 haec aphaeresis *domina est;* post quartam thesin Dir. v. 45 haec aphaeresis *metata est*, atque v. 100 *aliena in*, Lyd. v. 14 una elisio *teneramque inliserit*, et una aphaeresis v. 66 *gavisa est;* post quartum trochaeum in neutro ulla; post quartum dactylum Dir. v. 4 *vituli ante*, v. 5 *aquilae ante*, in Lydia nulla; post quintam thesin in neutro ulla; post quintum trochaeum cf. p. 58; post quintum dactylum Dir. v. 94 *sine illis*, in Lydia nulla; post sextam thesin in Diris nulla, tamen in Lyd. sex aphaereseis v. 27 *puella est*, v 34 *capella est*, v. 46 *longum est*, v. 50 *secuta est*, v. 64 *uterque est*, v. 78 *libido est*. Tum de caesuris quamquam penthemimeren solam fere secundus quisque, deinde illam simulque trithemimeren atque hephthemimeren fere tertius quisque versus utriusque carminis (accuratius Dir. 3, 2 et Lyd. 2, 9) praestat atque in utroque carmine binae caesurae κατὰ τέταρτον τροχαῖον (Dir. vv. 44, 93; Lyd. 17, 29) admissae sunt, tamen carmina ita differunt, ut caesura post tertium trochaeum in Dirarum septimo decimo, in Lydiae septimo et vicesimo quoque versu admissa sit (cf. Dir. vv. 57, 61, 63, 70, 78, 84; Lyd. 77, 78), qua de re cf. Birt symb. ad. hist. hex. lat. p. 20 sqq. Praeterea versus tali structura, quali Dir. v. 66 *Nil est quod* | *perdam ulterius* | *merito omnia Ditis*, aut v. 31 *Militis* | *impia* | *quom* eqs. in Lydia nullus legitur. Denique nullus versus spondiacus in Diris, tres (33, 47, 67) in Lydia sunt, cuius ars metrica in universum paulo politior esse videtur quam Dirarum, quibuscum eo tamen rursus congruit, quod verba pyrrhichiaca et dactylica vocalem *a* non elidunt nisi vocali *a* subsequente, qua de re cf. p. 57. His ego rei metricae minutis differentiis ingenue demonstratis tamen, cum ea, quae p. 51—58 docui et infra docebo, accurate perpendam, facere non possum, ut carmina unius esse negem.

[1]) Omnes praeceptis Vergili et Ovidi paruerunt praeter perpaucos quarti saeculi, quos cum communis et rectae artis taederet, in elisionibus admittendis versus plerumque rudes poetarum, qui ante aetatem Augusteam fuerunt, sibi imitandos proponere maluerunt. Hanc antiquorum aemulationem, quae Avieno et Reposiano et Ausonio et Prudentio maxime-

Scriptores	Exstant hexametri	I	II	III	IV
Dirae et Lydia . . .	183	—	23	183	(26)
Scriptores	Exstant hexametri	I	II	III	IV
Ennius	553	46	79	276	(61)
Lucilius	751	27	26	31	125 (58)
Cicero	724	—	181	724	(121)
Lucretius	7393	70	38	100	(38)
Catullus	798	199	31	(798)	(53)
	Aetas Augustea.				
Vergilius	12856	429	109	643	12856 (163)
Culex	413	—	138	—	(413)
Ciris	541	271	108	541	(180)
Moretum	124	—	—	—	—
Copa	19	—	19	—	—
Κατὰ λεπτόν XI . .	63	—	32	—	—
Elegiae in Maecenatem	89	—	—	—	—
Horatius	4195	105	89	64	466 (93)
Tibullus	681	—	85	681	(85)
Laudator Messalae . .	211	—	105	—	—
Lygdamus	154	—	154	—	(77)
Sulpicia	29	—	—	—	—
Propertius	2033	1016	62	—	(145)
Ovidius	22114	4423	266	1106	(75)
Nux elegia	91	—	—	—	(18)
Consolatio ad Liviam .	237	—	119	—	(79)
Halieutica	135	135	135	—	—
Grattius	529	—	529	—	(106)
Manilius	4258	4258	109	—	(89)
	I saeculum.				
Germanicus	963	—	241	321	
Priapea (Baehr. I 58)	96	—	96	—	(48)

que ei, qui carmen de figuris scripsit, placuit, primus sustulisse videtur Claudianus, cuius cum poemata in lucem prodiissent, in posterum forma III vix unquam atque forma IV rarissimo adhibitae sunt. Atqui nemo est qui duo carmina, de quibus agitur, quarto post Christum natum saeculo attribuat.

Scriptores	Exstant hexametri	I	II	III	IV
Dirae et Lydia . . .	183	—	23	183	(26)
Columella	436	109	73	—	(218)
Laudator Pisonis . .	261	—	—	—	—
Persius	598	85	75	50	(98)
Lucanus	8060	—	1612	733	(103)
Petronius	588	—	294	588	(147)
Calpurnius	758	—	—	—	(758)
Aetna	646	646	161	161	(36)
Homerus latinus . .	1069	1069	119	—	(357)
Val. Flaccus	5589	621	181	1863	(508)
Sil. Italicus	12319	1540	81	1015	12319 (684)
Statius	14266	3566	204	528	(409)
Martialis	3358	—	1679	1679	(108)
Sulpiciae satura . .	70	—	—	35	(70)
Iuvenalis	3603	212	901	360	(189)
	III saeculum.				
Serenus Sammonicus .	1107	221	369	—	(110)
Nemesianus	646	646	161	—	(646)
Pontica	22	—	—	—	—
Ad Oceanum . . .	28	—	—	—	—
Terentianus Maurus .	531	531	76	531	(66)
Lactantius(de Phoenice)	85	—	—	—	(85)
Catonis qui dicitur disticha	304	—	61	304	(23)
Pentadius	55	—	—	—	(55)
Dido ad Aeneam . .	150	—	—	—	—
Verba Achillis . . .	89	—	30	—	(89)
Vespae iudicium . .	99	—	—	—	(99)
	IV saeculum.				
Iuvencus	3218	1609	230	—	
Avienus	3272	113	47	3272	
Reposianus	182	182	26	—	—
Ausonius	3497	134	79	206	(152)
Prudentius	5145	429	58	858	(77)
Carmen de figuris . .	186	37	19	12	—

Scriptores	Exstant hexametri	I	II	III	IV
Dirae et Lydia . . .	183	—	23	183	(26)
	IV et V saeculum.				
Claudianus	9309	4654	—	—	(300)
Carmen contra paganos	122	—	—	—	—
Symphosius	315	—	—	—	(105)
Avianus	327	—	—	—	—
Licentius ad Augustin.	154	—	154	—	—
Carmen de ponderibus	208	—	—	—	(69)
	V saeculum.				
Rutilius Namatianus .	356	—	356	—	—
Merobaudes	219	—	—	—	
Apollinaris Sidonius .	2592	259	432	—	(100)
Phocae vita Vergili .	131	—	—	—	—
Sedulius	1819	454	454	—	(260)
Avitus	3218	—	3218	—	(169)
Dracontius	2322	1161	774	—	(332)
Orestis tragoedia . .	971	971	485	—	(162)
Aegritudo Perdiccae .	290	—	—	—	(72)
Flavius Felix . . .	104	—	—	—	(104)
Florentinus	56	—	—	—	—
Luxorius	379	189	126	—	(76)
Coronatus	38	—	—	—	(38)
Octavianus	313	—	63	—	(31)
	VI saeculum.				
Ennodius	1097	—	1097	—	(122)
Priscianus	1399	200	699	—	(699)
Maximianus	343	—	—	—	—
Arator	2353	2353	2353	2353	(112)
Venantius Fortunatus.	5960	5960	993	—	(993)
Corippus	6353	—	1588	—	(302)
	VII saeculum.				
Sisebutus	60	—	—	—	—
	VIII saeculum.				
Bonifatius	545	545	545	—	(545)
Paulus Diaconus . .	359	—	—	—	(175)
Alcuinus	4992	2496	250	—	(172)

Dirae et Lydia . . .	183	—	23	183	(26)
Scriptores	Exstant hexametri	I	II	III	IV
	IX saeculum.				
Hrabanus Maurus . . .	1238	309	1238	—	618 (95)
Walahfridus Strabus .	3699	740	528	3699	(127)

Itaque postquam Diras Lydiamque ante Vergilium scripta esse et antiqua illa quam p. 53 sq. dixi simplicitate sermonis et certissimo rei metricae argumento satis comprobatum est, si similitudo imitationem prodens inter hunc et Vergilium manifesta observata erit, iam nemo dubitabit, quin Vergilius imitator fuerit. Eo simul modo subsidia nobis exoptatissima contingunt ad Vergilium iuste aestimandum, cuius in eclogis auctores praeter Theocritum noti esse usque ad hoc tempus videntur fere nulli. Hic, hic fuit unus e Vergili auctoribus. Ita rem se habere, si me ducem sequetur, nemo infitiabitur.

D. 4 sq. *Ante lupos rapient haedi, vituli ante leones,*
Delphini fugient pisces, aquilae ante columbas.

E. VIII 52 sq. *Nunc et ovis ultro fugiat lupus, aurea durae*
Mala ferant quercus, narcisso floreat alnus. (cf. D. 98 sq.)

D. 32 sq. *Formosaeque cadent umbrae, formosior illis Ipsa.*

E. V 44 *Formosi pecoris custos, formosior ipse.*

D. 36 *Iuppiter hanc (= silvam) aluit: cinis haec Iove fiat oportet.*

E. III 61 *Ille (= Iupp.) colit terras: illi mea carmina curae.*

D. 61 *Dicantur mea rura ferum mare.*

E. VIII 58 *Omnia vel medium fiat mare.* (cf. D. 46).

D. 65 *Nam tibi sunt fontes, tibi semper flumina amica.*

E. I 51 sq. *inter flumina nota Et fontis sacros.*

D. 83 *Tuque inimica tui semper discordia civis.*
Exsul ego indamnatus egens mea rura reliqui,
Miles ut accipiat funesti praemia belli!

E. I 70 sqq. *Impius haec tam culta novalia miles habebit,*
Barbarus has segetes: en quo discordia civis
Produxit miseros, his nos consevimus agros!
(cf. D. 81).

D. 86 *Hinc ego de tumulo mea rura novissima visam.*
E. I 75 sq. *Non ego vos posthac . . pendere procul de rupe videbo.*
D. 87 *Hinc ibo*
E. I 64 *At nos hinc . . ibimus*
D. 91 *Tardius a! miserae descendite monte capellae*
E. I 74 *Ite meae, quondam felix pecus, ite capellae*
D. 92 *Mollia non iterum carpetis pabula vota.*
E. I 77 sq. *non me pascente . . salices carpetis amaras.*
D. 98 sqq. *Dulcia amara prius fient et mollia dura,*
Candida nigra oculi cernent et dextera laeva,
Migrabunt casus aliena in corpora rerum,
Quam tua, funde, meis emigret cura medullis.
E. I 59 sqq. *Ante leves ergo pascentur in aequore cervi,*
Et freta destituent nudos in litore pisces,
Ante pererratis amborum finibus exsul
Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,
Quam nostro illius labatur pectore voltus.
Lyd. 16 sq. *mollia prata Et gelidi fontes*
E. X 42 *Hic gelidi fontes, hic mollia prata*
L. 17 sqq. *aviumque silentia fient,*
Tardabunt rivi labentes currere lymphae,
Dum mea iocundas exponat cura querellas.
E. VIII 3 sqq. *quorum stupefactae carmine lynces,*
Et mutata suos requierunt flumina cursus.
D. 38 sqq. *Eurus agat mixtam fulva caligine nubem,*
Africus immineat nimbis minitantibus imbrem,
Quom tua cyaneo resplendens aethere silva eqs.
Georg. II 309 sqq. *Ad caelum picea crassus caligine nubem,*
Praesertim si tempestas a vertice silvis
Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.
Lyd. 9 *O fortunati nimium*
Georg. II 458 *O fortunatos nimium.*

Et conferas quaeso etiam Dir. 8 cum Verg. E. II 5, Dir. 29 cum E. V 5, Dir. 72 sqq. cum E. V 36 sqq., Lyd. 6 cum E. I 2, Lyd. 15 cum E. X 34.

Clariora imitationis signa abeat qui postulet! Quid? si Vergilius ad aliquem imitandum descendit, nonne putamus principem illum poetarum latinorum ad auctorem bonum et

honoratum descendisse? Profecto haec carmina humilia non esse et ipse sentio et nonnulli viri docti iudicaverunt, ut Scaliger: Quae quidem quanvis egregia sint et luculenta, tamen eorum nitori maxime officiunt menda; et Hieronym. Columna in Enni fragm. p. 275 (ed. Hessel): In quo genere egregium illud poemation scriptum est, quod cum Virgilianis legitur Dirae inscriptum; et Wakefield ad Lucret. I 231 p. 52: in Diris, cultissimo poemate; et alii.

An displicet vis vivacitasque, qua poeta sterilitatem siccitatem pestilentiam omnia taetra praedio dilectissimo imprecetur, displicet aestus animi, quo ut silva vites segetes tota denique villa rapidis flammis rapiantur, deos oret et obsecret, displicet studium illud funestum linguaeque trepidatio, qua mare et monstra eius et flumina et fontes et paludes et imbres in agros pervertendos convocet? Nonne animi motus placent mollesque querellae, quibus valedicat villae dulci puellaeque dulciori? Neque vero minoris pretii Lydiam esse magis sentiendum est sapientissimo cuique quam mihi demonstrandum. Argumentum denique Dirarum est simplex, sed summa in variatione et iteratione ars agnoscitur, atque in Lydia thema amatorium non minus est simplex, neque vero variatur tantum, sed etiam excursibus fabulosis exspatiando interrumpitur. Itaque eius generis excursus, quos in Dirarum incantamento vetabat fere lex simplicis repetitionis, in amatorio et paene elegiaco carmine poeta idem suum esse putavit optemperans saeculi ingenio.

Sed ne nimiis laudibus poetam efferamus neve, quem ordinem cum principibus poetarum comparatus teneat, nescire videamur, e. g. Theognidis Megarensis locum Dir. versui 80 et sequentibus non dissimilem, sed brevitate multo elegantiore excellentem nominabimus, ubi Theognis agris cunctisque fortunis relictis se nihil sibi servasse nisi vitam ipsam pulcherrima canis fugientis descripta imagine conqueritur, v. 345 sqq.

αἶσα γὰρ οὕτως ἐστί· τίσις δ'οὐ φαίνεται ἡμῖν
ἀνδρῶν, οἳ τἀμὰ χρήματ' ἔχουσι βίῃ
συλήσαντες· ἐγὼ δὲ κύων ἐπέρησα χαράδρην,
χειμάῤῥῳ ποταμῷ πάντ' ἀποσεισάμενος·

Idem Theognis quanto mollius quantoque vehementius quam noster agrorum suorum a praedonibus occupatorum desiderium expressit, ubi temporis agrorum arandorum se gruis voce misere admonitum esse cecinit v. 1197 sqq.

ὄρνιθος φωνήν, Πολυπαΐδη, ὀξὺ βοώσης
ἤκουσ', ἥτε βροτοῖς ἄγγελος ἦλθ' ἀρότου
ὡραίου· καί μοι κραδίην ἐπάταξε μέλαιναν,
ὅττι μοι εὐανθεῖς ἄλλοι ἔχουσιν ἀγρούς,
οὐδέ μοι ἡμίονοι κύφων' ἕλκουσιν ἀρότρου,
τῆς ἀμῆς μνηστῆς εἵνεκα ναυτιλίης.

Deinde dubium esse non potest, quin libidinosa variatione versuum intercalarium, quae nostro poetae placuit, natura proprietasque illius generis versuum laedatur et paene tollatur; nam ea industria versus intercalares inseri solere et debere Wackernagel in libro Poetik Rhetorik und Stilistik p. 424 docet, ut animus stropharum variarum turbido argumento commotus constanti unius versus repetitione aliquantum rursus leniatur et placetur; cf. etiam Ziwsai dissertationem, quam p. 13 citavi. Denique, ne singula aliis locis vituperata vel vituperanda repetam, quidquid pulchritudinis hae Dirae habent, id non habent, quod maximum tali in poesi adesse postulamus, dico veritatem; scriptor scilicet ipse ne videtur quidem sperasse futurum esse, ut vota sua evenirent neque credidisse id omnino fieri posse: cordi illi magis carmen ipsum fuit quam eventus carminis. Dicat quispiam de intercalaribus versibus sententiam non minus levem quaeque mihi quidem non satisfacit, carminum exsecratoriorum intercalaribus reddidisse etiam Theocritum discipulosque Alexandrinorum. Profecto doctum animum et Alexandrinam mentem in Diris et Lydia valuisse elucet et infra magis elucebit. Veritatem autem magis in eiusdem Theognidis elegiae, quam supra memoravi, cernimus initio

ἀλλὰ Ζεῦ τέλεσόν μοι Ὀλύμπιε καίριον εὐχήν·
δὸς δέ μοι ἀντὶ κακῶν καί τι παθεῖν ἀγαθόν.

et in fine

τῶν εἴη μέλαν αἷμα πιεῖν· ἐπί τ' ἐσθλὸς ὄροιτο
δαίμων, ὃς κατ' ἐμὸν νοῦν τελέσειε τάδε.

Nihilominus scriptor Dirarum Lydiaeque est bonus dicendus, cuius versibus et spiritu vivaci et elegantia praecel-

lentibus, quamquam non omnibus numeris absoluta sunt, Vergilianos non cunctos anteponi velim.

Itaque cuius duo carmina luculenta quaeque imitari ne Vergilium quidem puduit, servata sunt, eius nomen aetatem non tulisse sane dolendum est.

Sed absit, absit dolor, ubi dolere vetamur intellegentia: Valerius ille Cato, poeta et grammaticus ut auctor Dirarum Lydiaeque habeatur, cum oratio et res metrica admittunt tum testimonia veterum admonent aliaeque res postulant. Haec sunt testimonia[1]: Sueton. de gramm. XI. *Valerius Cato ut nonnulli tradiderunt, Burseni cuiusdam libertus, ex Gallia: ipse libello, cui est titulus Indignatio, ingenuum se natum ait et pupillum relictum eoque facilius licentia Sullani temporis exutum patrimonio. Docuit multos et nobiles visusque est peridoneus praeceptor maxime ad poeticam tendentibus, ut quidem apparere vel his versiculis potest:*

Cato grammaticus, latina Siren,
Qui solus legit ac facit poetas.

Scripsit praeter grammaticos libellos etiam poemata, ex quibus praecipue probantur Lydia et Diana. Lydiae Ticida meminit:

Lydia doctorum maxima cura liber.

Dianae Cinna:

Saecula permaneat nostri Diana Catonis.

Vixit ad extremam senectam, sed in summa pauperie et paene inopia, abditus modico gurgustio, postquam Tusculana villa creditoribus cesserat, ut auctor est Bibaculus . . .

Catonis modo, Galle, Tusculanum
Tota creditor urbe venditabat.
Mirati sumus, unicum magistrum,
Summum grammaticum, optimum poetam,
Omnis solvere posse quaestiones,
Unum difficile expedire nomen.
En cor Zenodoti, en iecur Cratetis.

Idem ibid. II. *Lucili saturas . . legisse se apud Archelaum Pompeius Lenaeus, apud Philocomum Valerius Cato praedicant.*

---

[1]) Alia minoris pretii Naeke p. 252 sq. congessit.

Horatius sat. I 10 sqq.

Lucili, quam sis mendosus, teste Catone,
Defensore tuo, pervincam, qui male factos
Emendare parat versus eqs.

Iam in eo est, ut ad singula exponenda accingamur. Ac primum Lydiam, quam Cato scripsisse traditur, non parvulum poematium, sed librum maioris circuitus fuisse probant verba Ticidae *Lydia doctorum maxima cura liber,* quoniam pauci versiculi *liber* aut *maxima cura doctorum* h. e. poesin Alexandrinam aemulantium [1]) nominari non debuerunt neque a Suetonio, qua est brevitate referendi, diserte memorati fuissent his praecipue laudibus: *ex quibus praecipue probantur Lydia et Diana.* Deinde Catonem in Lydia amicam suam cecinisse satis e titulo ipso neque minus ex Ovidio apparet trist. II 435 sq.

Cinna quoque his comes est Cinnaque procacior Anser,
Et leve Cornifici parque Catonis opus.

Tum illum non uno tenore, sed ritu omnium fere poetarum singulis carminibus in cyclum coniunctis puellam celebrasse et res ipsa et alia praecipue exempla plane docent, ut Mimnermi *Ναννώ* et Antimachi *Λύδη* et Hermesianactis *Λεόντιον* et Properti elegiarum liber primus in membranis, quibus critici vereor ne iniuria diffidant, sic inscriptus Properti Cynthia monobiblos. Ea cum re, quam de Lydia Catonis sive certo scimus sive non temere coniecimus, id optime convenit, quod ex ipsa Lydia, carmine servato, quod eclogam Iacobs nominavit, apparet. Quarė arbitrio Naeki, quod p. 257 lego, subscribo: Praeterea hoc carmen nostrum ita ipsum comparatum est, ut alia praecessisse carmina, alia sequuta esse appareat. Quem enim poetam tam disertum et tam querelarum fecundum videmus, quum aliquando carendum esset contubernio Lydiae, eum nec tum tacuisse, quum erat

[1]) Mehercle Alexandrina doctrina ut Lydía ita Dirae abundant, simodo poeta noster et Antimachi Alexandrini libellum *Λύδη* et Euphorionis Alexandrini libellum *Ἀραὶ ἢ ποτηριοκλέπτης* cognovit atque etiam Catullus Propertius Ovidius exempla Callimachi aliorumque Alexandrinorum secuti sunt. Ceterum manifesta verba Ticidae Rothstein male interpretatus est.

apud Lydiam, sed voluptatem felicitatemque suam cecinisse fidibus credimus. Quid? quod ipse hoc significat, Eclogae v. 6 (109)

Et mea submissa meditatur carmina voce.

Profecto hanc eclogam sic ut est, si aliis de eadem re poematis non circumdata et illustrata fuisset, plane percipere neque Romanos ipsos potuisse puto neque nos posteri possumus. Exempli gratia poeta utrum in agros rediturus est an non? Suane voluntate ex agris exiit? Equidem eclogam, qua poeta desiderium puellae neque vero agrorum queritur, ex praedii amissione in Diris cantata pendere nego, cum nihil de milite advena, nihil de agrorum mala fortuna, nihil de poetae ipsius exsilio vel paupertate memoretur. Contra id non semel in sempiternum, sed identidem et saepius accidisse, ut poeta complexu amasiae careret, extra omnem dubitationis aleam mihi ponunt versus *Et mas quicumque est, illi sua femina iuncta Interpellatos nunquam ploravit amores . . . Quor ego crudelem patior tam saepe dolorem?* Hoc qui mihi concessit, iam concedit etiam hoc viros doctos lectionem manuscriptorum unanimam Lyd. v. 7 *interea* imprudentius attentasse [1]). Immo ea vox *interea* apta vel necessaria est. Nam si non adesset, in initio carminis difficilius esset ad cognoscendum, quam ob rem poeta agris invideret. Etenim si ipse in agris versaretur, nil esset nimirum, cur illis invideret; propterea autem, quod puella *interea* h. e. dum ipse longe abest, in agris et cum agris ludat, illis invidet, id quod tum desinet, cum negotiis nescio quibus absolutis in villam reversus contubernio amasiae denuo fruetur.

Sequitur inde, quam diversa scriptoris vitae condicio in Lydia sit atque in Diris. Verum enim vero de ea re iudicium facere dubito, num Lydia ante Diras composita sit. Certe difficillimum est, quod Birt in symb. ad hist. hex. lat. p. 23 subiit, e nulla re nisi metrica concludere, utrum carmen vetustius sit. Tantum autem dici potest aut Lydiam ante Diras factam esse debere aut villam antea Diris devotam a poeta recuperatam esse aut agros in Lydia alios esse atque in Diris.

[1]) Coniecerunt Sillig *in terras*, Ribbeck *inter vos*, Maehly *in terram,* Baehrens omnium audacissime *hinc teneram.*

Attamen ea videtur quaestio non esse, utrum carmen vetustius sit, sed utro carmine prior scriptoris fortuna narretur. Atque in Lydia poeta id queritur, quod puella se non e fundo secuta sit ut taurum vaccula, haedum capella, deum suus quemque amor, Thesea Ariadne, Iasonem Medea, et agris invidet, quod interea sola in illis ludit[1]), in Diris fundo et puellae in perpetuum decedens valedicit; in Lydia negotiorum causa aliquamdiu e villa exiisse videtur, in Diris villam militibus distributam aegre reliquit in sempiternum; discessio in Diris descripta semel poetae accidit, absentia, qualem in Lydia queritur, saepius ei iam querenda fuit. Quaerentibus autem, quaenam ob negotia poetam e villa saepius exiisse verisimile sit, id respondeo poetam sine dubio in eam urbem, ubi de agris distribuendis agebatur, saepius festinasse verisimile esse ut malam fortunam quantum posset defenderet. Neque enim paucis diebus, sed per multos menses, fortasse per nonnullos annos eius res diiudicatas esse ex ipso plurali *praetorum* Dir. v. 82 dilucide apparet, quorum crimine agellos a se devotos esse h. e. a quibus agros iniuste militibus addictos esse conclamat[2]).

Hac cum interpretatione verba Suetoni incerta opportune conveniunt, quibus Cato *licentia temporis Sullani patrimonio exutus* esse traditur, quae ad artes forenses referri et Merkelio suadente concedo et, si iubeor, nego. Cum igitur omnia huius bona in periculo versarentur, cum ipse, cuius animus patre paulo ante mortuo valde commotus erat, cum nefariis militibus de patrimonio suo certaret et iniquis iudicibus uteretur, rebus tam angustis tamque adversis num nobis, qui Ovidios et Buergeros lectitamus, mirum esse videtur poetam tum admodum adulescentem, qui dulcissima puella frui consueverat, desiderium amasiae mollissimasque querellas fidibus mandasse? Tum autem, cum hasce Diras com-

---

[1]) Poetam a puella rus profecta in oppido relictum esse male excogitavit Rothstein.

[2]) Propter numerum pluralem *praetorum* opus non est cum Naekio de duobus annis, per quos causa illa agitata sit, cogitari, quoniam munera praetorum illa aetate plerumque iam non annua, sed aliquot mensium fuisse constat, ut a. 716 a. u. c. septem et sexaginta praetores fuisse Marquardt - Mommsen II 1 p. 196 docent.

ponebat, longum temporis ex agrorum amissione spatium praeteriise mox demonstrabo.

Ut igitur hominum est, animus poetae tum, cum Diras condebat, constantius sentire consueverat de amissione et fundi et puellae, quae quod non cum pauperrimo adulescentulo in exsilium migraverit, sed unum e novis possessoribus vel, si ludere licet, fortasse omnes adamaverit, mihi quidem non nimiae admirationi est, itaque minus tristitiam quam iram, minus dolorem quam furorem, minus consternationem cantavit quam indignationem. Iam vero et indignationem in Diris agnovimus et *Indignatio* ipse titulus fuit alius cuiusdam libri Catoniani. Is utrum prosaicus an poeticus fuerit, Suetonius tacet. Verum enim ut in ipso *Indignatio* titulo mea quidem sententia aliquid sublime, aliquid poetici inest, ita vocem illam Iuvenalis *facit indignatio versum* etiam de eo libro valere verisimile est, cui ultro titulum *Indignatio* scriptor dederit. Denique ipsas Diras in libello *Indignatio* exstitisse propter argumentorum aequitatem credo atque confido. Nempe auctorem Dirarum plura carmina materie item tristi cecinisse elucet e versibus 1 sqq. et 34 *nostris potius devota libellis* et ex statu ipsius carminis, quod poeta nisi aliis propinquae rei poematis illustrasset, ne Romanis quidem legendum praebuisset neque nos aliis subsidiis destituti unquam plane percipiemus. Itaque arbitror Catonem omnes querellas, quascumque de mala fortuna, cuius testes sunt Suetonius et Bibaculus, fidibus mandaverit, collegisse et edidisse libro satis eleganter inscripto *Indignatio.* Earum querellarum exemplum Diras habemus.

Tandem igitur nonnulla dictionis memorabilia recte comprehendi poterunt, quae neminem magis decent quam magistrum, qui *praeter grammaticos libellos etiam poemata* composuerit, vel ut primum Dir. v. 6 *Et conversa retro rerum discordia gliscet* et 100 *Migrabunt casus aliena in corpora rerum* magis philosophi quam poetae sunt, vel hic ritu professorum eandem scientiam, qua ipse gloriabatur, ab aliis postulasse videtur, cum Lyd. 49 pro Ariadne *notum Minoidos astrum* et 50 pro Medea doctius seu obscurius *quaeque virgo* diceret, eodemque etiam ille Lycurgus Dir. v. 8 referendus est; item

elocutiones *quae dicere longum est*, *haec quoque praetereo*, fortasse etiam *nil est quod perdam ulterius* prosam et quodam modo grammaticam redolent.

Sic autem sententiam meam nunc circumscribam: Valerius Cato in *Lydia* libello amasiam suam singulis carminibus ad unum coniunctis celebravit, ex quibus unum restat ipsum *Lydia* a viris doctis appellatum; idem non paulo post agros tempore Sullano amissos Diras composuit et quidem ante sexagesimum quartum poema Catulli easque cum aliis de mala fortuna sua querellis sub titulo *Indignatio* edidit.

Quaeritur, quo significatu non paulo post agros amissos supra dixerim. Sunt autem verba Hermanni (p. 117) haec fere: Die Dirae würden alle Kraft verlieren, wenn sie nicht unter dem frischen Eindruck des erlittenen Unrechts verfasst wären. Quod verum esse nego, cum Francogallum illum, inter nostros nobilissimum poetas, Adelbertum von Chamisso sciam in pulcherrimo carmine quod incipit Ich träum' als Kind mich zurücke Und schüttle mein greises Haupt memoria pueritiae et patriae adeo captum esse, ut rura paterna querellis dulcissimis et votis non, ut hic, impiis, sed maxime piis cantare inciperet. Quod utcumque se habet nullum adminiculum aliunde Hermannianae sententiae arcessi potest Diras brevi post fundi amissionem scriptas esse; immo tempus sane longinquum praeteriit non modo ex villa amissa, sed etiam ex priore cantu amoebaeo, qui ipse his Diris iam praeiverat: illud v. 46 *qua nostri fines olim* et v. 73 *spicas ubi legimus olim* ostendunt, hoc et verbosa ratio, qua poeta Battarum tamquam oblitum tristis illius temporis tristisque devotionis sibi admonendum esse arbitrari videtur, et elocutio *memini* in vv. 54 et 71, quae, si paucis diebus ante Battarus cecinisset, gravior esset debito. Vis quaedam enim inest in ea notione bis repetita, qua exprimitur: Battare, ea quae solus nunc cano, tu olim in carmine illo amoebaeo tam triste et dulce cecinisti, ut etiam nunc id memoria teneam, quamvis totam dulcedinem tuam repetere non possim. Igitur scriptorem, etiamsi tempore Sullano adulescentulus fuerit, postea, cum poesin melius exercebat, Diras scripsisse censeo et fortasse etiam Lydiam.

Alia vero causa Merkeliana est: Verum neque agros unquam amisisse Cato diserte traditur, sed patrimonio exutus, neque per veteranos Sullanos, sed licentia Sullani temporis, quod significare videtur per artes forenses, vel Chrysogoni alicuius machinas; quae ut statim refellatur, quicumque credere vult, credat Merkelio. Equidem locum Suetoni, ubi Valerium licentia Sullani temporis patrimonio exutum esse tradit, simpliciter et sedulo interpretor, cum locos, quos Naeke multos citat, simillimos pensitem velut *illam Sullani temporis messem*, *Sullani temporis iniustissima calamitate* multosque alios ad proscriptiones spectantes. Attamen Merkel etiamsi probetur, sententiam nostram nullo modo labefactat, cf. p. 70. Ceterum de situ villae multum conicitur, nihil scitur, nisi quod in Gallia, patria Catonis, eam fuisse verisimile est; nam ex voce *Trinacriae* v. 9 nihil certi concludi potest, cf. p. 19. Quid denique dicam de suprema illa Merkeli argumentatione aetatulae sedecim annorum — hunc annum poetam hunc egisse Putsche statuerat — non convenire amorem Lydiae. Utrum autem Valerius tempore Sullano sextum decimum an vicesimum quartum annum egerit, quamquam viri docti multa verba fecerunt et haud dubie facient, haud scio an semper res dubia futura sit. De amore verum utrum conveniat necne, aliter atque magistri litterarum grandes natu sentimus nos adulescentes, praesertim cum certo sciamus septimo decimo aetatis anno peracto beatis Romanis licuisse uxorem ducere.

Sed haec leviora; illa vero graviora atque magna sunt, unde carmina ante Catulli LXIIII carmen scripta esse manifestum est. Ex carminibus Catullianis unum est missum ad Catonem quendam, quem hunc Valerium esse Schwabe firmavit. Carmen est LVI:

O rem ridiculam, Cato, et iocosam
Dignamque auribus et tuo cachinno.
Ride, quidquid amas, Cato, Catullum:
Res est ridicula et nimis iocosa.
Deprendi modo pupulum puellae
Trusantem: hunc ego, si placet Dionae,
Protelo rigida mea cecidi.

Profecto talem rem auribus et cachinno etiam huius poetae dignam fuisse *Lydia* carmen eiusque maxime versus 13 sq. 26 sq., 29 sqq., 53 sqq., 66 sqq. satis approbant. Nullane autem praeterea Catulli cum hoc poeta consuetudo ex ipsis carminibus monstrari potest? Pro circuitu exiguo carmina abundant argumentis quasi clamitantibus poesin Valeri Catonis, poetae simulque grammatici tunc notissimi, non modo vatem Andinum, sed etiam Veronensem presse secutum esse. Conferas

D. 21 *Purpureo campos quae pingit verna colore*
Cat. LXIV 90 *Aurave distinctos educit verna colores*
D. 35 sq. *Iuppiter ipse,*
Iuppiter
C. LXIV 26 sq. *Iuppiter ipse,*
Ipse
D. 57 *Cum subito emersere furenti corpora ponto*
C. LXIV 14 *Emersere freti canenti e gurgite vultus*
D. 102 sq. *Quamvis ignis eris, quamvis aqua, semper amabo:*
Gaudia semper enim tua me meminisse licebit.
C. LXV 9 sqq. *Nunquam ego te . . adspiciam posthac. At certe semper amabo,*
Semper maesta tua carmina morte canam.
Lyd. 68 *Brachia formoso supponens Cypria collo.*
Cat. LXIV 332 *Levia substernens robusto brachia collo.*
L. 75 sqq. *Ergo quod deus atque heros, cur non minor aetas?*
Infelix ego, non illo qui tempore natus,
Quo facilis natura fuit. Sors o mea laeva
Nascendi miserumque genus, quoi sera libido est.
C. LXIV 22 sqq. *O nimis optato saeclorum tempore nati*
Heroes, salvete, deum genus, o bona matrum
Progenies . . . cui Iuppiter ipse,
Ipse suos divum genitor concessit amores.

Quod si in his Catullum imitatorem persentimus, iam id quoque melius percipitur, qui factum sit, ut ipse Catullus legem illam vocalis *a* elidendae observaret: aemulatus est etiam hac in re Valerium Catonem. Denique talis variatio versuum intercalarium, qualis nusquam invenitur nisi in Diris et Catulli carmine LXI, digna est, unde consuetudo amborum Valeriorum concludatur.

Restat ut Suetonius iterum audiatur (de gram. II): *Lucili saturas . . . legisse se apud Archelaum Pompeius Lenaeus, apud Philocomum Valerius Cato praedicant.* Atque ambo revera e saturarum Lucili lectione fructum perceperunt; nam Lenaeus memoriae Pompei defendendae causa Sallustium historicum acerbissima satura laceravit, Cato Indignationem suam scripsit, cui summam similitudinem cum saturarum genere fuisse verisimile est [1]). Sed quam attentus discipulus Philocomi Valerius fuerit quantaque diligentia saturas Lucili legerit, praeter Lydiam (cf. p. 54) etiam Dirae bene ostendunt. Confero enim Dir. 35 sq.

Iuppiter ipse, Iuppiter hanc (= silvam) aluit

cum Lucil. V 23

Hic sunt herbae, quas sevit Iuppiter ipse

maximeque Dir. 55 sq.

Nigro multa mari dicunt portenta natare
Monstra

cum Lucil. XV 1 sq.

Multa homines portenta in Homeri versibu' ficta
Monstra putant,

ubi notiones *multa* et *dicunt* seu *putant* inque primis coniunctio unica verborum *monstra portenta* imitationem confirmant.

Iam vero satis elucet, qua de causa Vergilius Diras et Lydiam imitandas sibi sumpserit: scriptae sunt ab *unico magistro, summo grammatico, optimo poeta*; elucet, quo pacto carmina indicia simul et antiquioris simplicitatis et Augusteae elegantiae prae se ferant: scriptor carminum tum floruit, cum recens aetas incipiebat, antiqua nondum finiverat; elucet, quo iure huic ordo verborum quem indicavi α β a b saepe placuerit, elisio *a* vocalis subtilissima etiam nimis saepe placuerit: horum artificiorum pro parte auctorem fuisse suspicor *poetam simulque grammaticum notissimum*, Valerium Catonem.

Quodsi qui harum litterarum sunt periti, veritatem me semper quaesivisse, interdum repperisse iudicaverint, ex Diris non diras adeptus sane magno opere gaudebo.

---

[1]) Satura quid sit Birt in libro, cui titulum dedit Zwei politische Satiren des alten Rom, acutissime docet.

Collatio Parisini 17177 [1]).

46 . . . .
47 hec
48 Undique uestris litora pulsatis
49 que . . . defunditis
53 dicatur Libia soror altera Sirtis
54 Tristius hoc meminere uocasset battare carmen
55 multo mari dicent
56 repentinus terrentia sepe
57 ferenti corpora pento
58 Hec agat infesta Neptunus ceca tridenti
59 A trunco uertens estum
62 Rura quibus duras induximus impia uota
63 Si minus hec neptune tuis infundimus auris
65 tibi flumina semper amica
66 Nilem quod pergam ulteris merita omnia ditis
67 Flectite currentis nimphas uaga
70 *deest*
72 sicco
73 iungos spicos
74 Occultet arguti grilli
76 Precipitent ymbres
78 Quid domin' relinquunt
79 Unde lapseos agros peruenerit unda
80 Pascetur
81 crimina
82 pratorum crimina
83 Tuque inimica tui
84 Exul ego indampnatus
85 premia
86 *deest* uisam
87 Hinc ibo in siluas *solummodo legitur*

---

[1]) Qui mihi codicem contulit, is et haec adnotavit: versus in manuscripto et editione Baehrensiana non dissimiles non scripti sunt in collatione mea; solas differentias notavi.

88 *deest*
89 Lidia
91 Tardius a misere descendite monte capelle
92 Mollia non iterum carpetis pabula . . . .
93 Tuque resiste pater et prima nou . . . .
94 Intueor campos longum man . . . . .
95 Rura ualete iterum tuque opti . . . .
96 Siue eris et si mecum m . . . . . .
97 Extremum carmen reu . . . . .
98 Dulcia amara prius . . . .
99 *deest*
100 Migrabunt casus alie .
101 Quam tua de nostris
102 Quamuis ignis eris qu . . . . abo
103 Gaudia semper enim tua . . . . licebit.

[Lydia]

Versus 1—7 desunt.

8 Inuideo uobis agri . . . . . .
9 O fortunati nimium . . . . . .
10 In quibus illa pedis niue . . . . . .
11 Aut roseis digitis uiridem decerpserit uuam
12 Dulcia namque tumet nondum uitec[u]l[a] [Bac]cho
13 Aut inter uarios Venerem sp[i]rentia [fl]ores
14 Membra declinarit . . . . . . her[bam]
15 Et secreta meos furt . . . . nores
16 Gaudebunt silue . . . . . . ollia prata
17 Et gelidi fontes . . . .
18 Tardabis riui . . . . . . currite . . . . . .
19 Dum mea iocu . . . . exponat cura querelas
21 Et uobis nunc est que fuit ante uoluptas
22 At mala tabescant morientia membra dolore
23 decepit
24 dominata
26 Fabula non . . . . .
27 Iuppiter auertas . . . . . meam sola p . . .

Felix taure pa . . . . . gregis et dec . . . . .
Vacula non numquam . . . .
Frustra te patitur silvis . . . . rem
Et pater edorum fel . . . .
Siue petis mont[es] preruptos . . . . . .
Siue tibi siluas [n]oua pa . u . . . . .
Siue libet camp[is] tecum . . . . .
Et mas quo . . . . . . illi sua . . . .
Interpellatos num[quam] plorauit amo[res]
Cur non et nobis facilis natura . . . . .
Cur ego crudelem patior tam sepe dolor[em]
Sidera per uiridem . . . . . . mundum [1])
Inque ui[cem] Pheb . . . . . currens . . . . . orbis
. . . . tui tecum est cur non est et mea mecum
[Lu]na do . . . . . quid sit misere[re d]olentis
Pheb[e] . . . . . in te laurus celeb . . . .
Et . . . . pa Deum nisi siluis . . . . locuta . . . .
. . . . tis secum sua gaudia [ge]stat
. . . . videt mundo que . . . . longum est
. . . . [c]um secula . . . .
[Con]dicio similisque foret [m]orta[libus] illis
. . . . . quoque preterea not . . . . astrum
. . . que uirum uirgo sic [ut] [cap]tiua secuta est
. . . . dere celicole nos nostra . . . . tas
[C]ondicio nobis uite quo . . . .
Ausus ego primus c . . . . res
Sacra tamquam me uit . . . .
. . . . natura me quoque . . . . re facta
Istius atque utinam facta . . . . . . magistra
Prima fera letum uita mihi . . . .
Non me non nullo moreretur temp . . . . fama
Dulcia cum Veneris furatus gau[dia] primum
Dicerer atque ex me dulces foret . . . . voluptas
Nam mihi non tantum tribuerunt . . . . . uota
A[uc]tor ut occulti noster foret error amoris
Iuppiter ante sui semper men . . . . factus

[1]) Vocab. *mundum* legitur in linea inferiore in ms.

64 [Cum Iu]none prius coniunx . . . . uterque . . . .
65 [Ga]udia libauit dulcem furatus amorem
66 . . . . . ecum tenera gauisa est ludere in herba
67 . . . . . reos flores quos insuper
68 G[au]dia formosa supponens gaudia colle
71 Tristi turbabatque mala fulg . . . . . . bam
72 Non Aurora nouos etiam plora[uit am]ores
73 Atque rub[e]ns ocul[os] roseo c[elauit] amictu
74 [T]alia celicole nu[mqu]id . . . . . aureo promo
75 Ergo quid deus atque . . . reos . . . . non . . . .
76 Infelix ego non illo qui t[empore] natus
77 Quo facilis natura fuit . . . . leua
78 Nascendi miserumque . . . . . quo serua libido est
79 Tanta me . . . . re rapinam.

Vita.

Ioseph Iulius Gustav Eskuche natus sum Casselae Cattorum anno h. s. LXV die XVIII mensis Aprilis patre Iosepho Iulio matre Martha e gente Maurer, quos adhuc inter vivos esse gaudeo. Fidem profiteor evangelicam.

Primordiis scientiae e vere anni 1871 satis imbutus anno demum 1875 adire institui gymnasium patriae meae quod appellatur Lyceum Fridericianum, cuius cum multi et boni praeceptores tum illustrissimus rector Gideon Vogt summum mihi amorem excitaverunt discendi atque docendi litteras antiquas et theodiscas. Ut autem amori facultatem adderem, in universitatem Marburgensem me contuli, ubi inde a vere anni 1884, nisi quod tertium mihi semestre fuit Berolinense, usque ad autumnum anni 1887 litteris me dedisse laetor. Docuerunt autem me Bergmann, Birt, Bormann, Caesar †, Cohen, Heinrici, Herrmann, Koch, Leonhard, Lucae †, Natorp, Niese, Ranke †, Schmidt, Stosch, von Sybel Marburgenses; Kirchhoff, Scherer †, von Stein, Vahlen, Zeller Berolinenses. Proseminarii philologi sodalis per duo, seminarii per tria semestria, per unum senior quod fui, eximiae debeo humanitati Caesaris et Schmidti et Birti; exercitationes suas ut frequentarem, benigne concesserunt Lucae, Cohen, Koch, Stosch. Horum virorum doctorum, quorum longe optime de me meritum esse Birtium aio, disciplina ac doctrina instructus exeunte anno 1888 examine pro facultate docendi in universitate Marburgensi superato probandus qui vocatur in patriae meae gymnasio illo Fridericiano factus sum. Hoc autem autumno ad Parisios proficiscar, ut linguam Francogallorum recte ibi ediscam doceamque alios.